




HISTORIA
CONTAGIOSI
MORBI
RIGHIUS
1633









5475/A

HISTORIA CONTAGIOSI MORBI,

QVI FLORENTIAM populatus fuit anno 1630.

ALEXANDRO RIGHIO Florentino Interprete.

AD ILLVSTRISSIMVM

VINCENTIVM CAPPONVM

Marchionem dignissimum.



FLORENTIÆ, Typis Francisci Honufrij.

Superiorum permissu. 1633.



ILLVSTRISSIMO

VINCENTIO CAPPONO.

ALEXANDER RIGHIVS S.



GENTI mihi Quarantenam, & ocium, & solitudinem illius excogitanti venit in mentem Aristotelicum illud, *Solitarius, aut Bestia, aut. Deus*. Quam ob rem cum Deus esse nequeam, Bestia autem esse nolim, ne essem ociosus in ocio, neq; in

solitudine solus, Historiam huius nostri Contagij (qualecumq; illud fuerit) breuissimè pro viribus explanare decreui. Opusculum quidem (liberè fateor) vix inchoatum, ne dum imperfectum, dignum certè, quod obliuioni potius, quàm typis committeretur, attamen ita tulit cuius voluntas mihi lex est. Non fui diù præmeditatus cui nam dicare illud deberem, statim enim occuristi mihi, Illustrissime VINCENTI, qui gratè illud reciperes, & Illustrissimo nomine tuo, summisq; meritis tuis illud perficeres. Accipe igitur illud libenter, (quæ tua erit benignitas) & nomen tuum in illo solum respice, nomine tuo insignitum illud dilige, tenebras illius lucis tuæ radijs illustra, & ab omnibus Zoilis, suis illud semper defende; quàmquàm certò scio, quod nominis tui coronam fronte gerens non solum tibi ipsi, sed omnibus etiam alijs gratum, & preciosum erit. Vale.

HISTO-

HISTORIA.



Abente anno 1630. bellantibus in Italia Ferdinando Secundo Imperatore Augusto, & Serenissimo Carolo Primo Gonzaga Mantuæ, & Montis Ferrati Duce meritissimo, Pestis, vel pestilentes morbi, (vt ferunt) per totam ferè Galliam Cisalpinam nimis seueré spa-

tiati fuerant. Ineunte autem Autumno Florentiæ quoquè Serenissimo Ferdinando Secundo Magno Hetruriæ Duce Heroicè dominante non Pestis, sed contagiosi morbi super pauperes, & egenos tantum exorti sunt. Equidem tunc temporis quicumquè moriebantur, plurimi aut Bubone, aut Carbunculo, aut Erysipelate, aut Inflammatione, aut alio quouis Tumore, aut Pustula, aut Vlcere, aut Liuore, aut aliquo cutaneo morbo affecti moriebantur; non tamen quicumquè aliquo ex dictis morbis affecti erant, moriebantur, horum enim plurimi curati, & non curati sanabantur. Per annos quidem nonnullos tempora intempestiua, inconstantia, pluuiosa fuerant, aer tamen serenus, & purus erat; alma tellus fructus suos nimis auare produxerat; artes ferè inertes, & negocia quasi ocia fuerant; diæta pessima, incontinentia maxima pauperes præcipuè vsi fuerant. Serenissimus Ferdinandus Pater pauperum Illustriss. Senatoribus Sanitati præfectis impe-

imperauit, vt recte consulentes, omnibus hominibus imperantes, nullis sumptibus parcentes contagiosos morbos (quoad humane fieri poßet) radicitus euellerent. Longum nimis eßet omnia sigillatim recensere, quæ Illustrissimus, ac Reuerendissimus Archiepiscopus, quæquè Illustrissimi Senatores in tota Hetruria, finibusquè illius instituerunt, sed pars eorum, quæ Florentiæ statuta sunt, dicetur. Ille in Ecclesiijs Aquam benedictã, Conciones, & pias Societates; isti Gymnasia, Emporia, Nundinas, & omnes Cõgregationes prohibuerũt. Omnibus agricolis Medicorum consilio mandauerunt, vt in proxima futura vindemia Aquam musto commiscerent. Canes vagos omnes interfici voluerunt. Nosocomion, vulgo Lazzaretto *nominatum vnum intra Vrbem in Hospitali comuniter dicto Bonifatij erexerunt. Quo vel leui quouis morbo cutaneo affecti, siue cum febre, siue sine febre, alioquè morbo coniuncto omnes in feretris vellent nollent adducebantur;*

bantur; nullo autem cutaneo morbo laborantes; etiam si quouis acuto morbo, & magna febre laborarent; non adducebantur. Vbi licet curati, omnes tamen ferè moriebantur. In Ciuitate autem quatuor Medicos, totidemquè Chyrurgos elegerunt, qui in proprijs domibus omni authoritate vnum quemquè ægrotum visentes, si cutaneo solum aliquo affectu laborantem cernerent, Magistratui statim denuntiarent, quouis autem alio morbo affectum, nullum denuntiarent. Omnibus alijs Medicis, & Chyrurgis imposuerunt, vt nullum talem ægrotum nisi semel adirent, antequam ille Magistratui denuntiatus fuisset. Vnusquisq; Paterfamilias suos familiares, & domesticos ægrotos denuntiare similiter tenebatur. Aegroti omnes denuntiati subitò ad Lazzarectum in feretris efferebantur. Mortui denuntiati in agro vno intra Vrbem, non denuntiati in duobus extra Vrbem sepeliebantur. Feretra tàm ægrotantium, quàm mortuorum minister quidam

Campa-

Campanulam sonans præibat. Domus omnes, in quibus talis ægrotus, aut mortuus fuisset, ne quis ingredi, aut egredi posset per viginti dies omnino clausæ manebant. Tota Ciuitas timore, pauore, & formidine plena erat. Vnusquisquè magis Lazzarectum, & sepulturam, quàm mortem ipsam horrescebat. Inde fuit, quod Sanitatis Præsides Lazzarecto illo vno penitus derelicto alia duo extra Vrbem erexerunt. Quotidie numerus ægrotantium, & mortuorum, & Ciuitatis horror augebantur: Nonnnlli solo timore ægrotabant, & moriebantur. Aliqui præ timore alexipharmacis multis vtebantur, & inde ægrotabant, & peribant. Medici quidem ipsi in Lazzarecto curare nolebant, sed tàm Medici curaturi, quàm ægroti curandi coactè ad Lazzarectum ducebantur, vbi ægroti, & Medici simul cum agonia ferè omnes moriebantur. Nobiles, & diuites præ timore Ciuitatem, vt odiosam deserentes nemorum, & syluarum tanquàm facti Ciues

 amica

amica rura inhabitabant. Ciues, & opifices satis locupletes Sanitati Præfectos magnis precibus orauerunt, vt siquis morbus cutaneus illis accidisset, in proprijs domibus, proprijsquè sumptibus curari sibi liceret, nec ad Lazzarectum duci cogerentur. Sanitatis autem Præsides gratiosè Medicos duos, totidemquè Chyrurgos elegerunt, qui in proprijs domibus, proprijsquè sumptibus illos curarent, sed alium cutaneo aliquo affectu non laborantem curare poterant nullum. Omnes alij morbo non cutaneo laborantes à quolibet alio Medico, in quolibet loco, & tempore ad libitum curari poterant. Gratia fuit laudatissima, sicut fuit omnibus gratissima; & ab illa hora Contagij, & mortis timor, & horror publicè decrescere inceperunt. Fortunatus, & felix sibi videbatur ægrotus ille, qui nullo cutaneo morbo laborabat, qui autem laborabat, nesciebat, an viuere esset mori, an mori viuere, & an viuens mortuus esset, an mortuus viueret.

Plures

Plures ministri Sanitatis (demptis viris nobilibus) mercenarij, & venales homines erant. Siquis à Lazzarecto sanatus redibat, aut miraculosè sanatus, aut rediuiuus existimabatur. Qui autem sanatus redibat, antequàm domum adiret, Quarantenam agere cogebatur. Postea vestimentis veteribus omnibus combustis, nouis autem indutus, tanquàm corpore, & vestibus homo nouus ad domum proprium reuertebatur. Mortuorum autem in proprijs domibus non solum vestimenta, sed lectum, & suppellectilia omnia cremabantur. Virgines, & pueri Crucis vexillum per Ciuitatem gestantes, Litanias canentes; viri, & mulieres variè vouentes; Sacerdotes assidue sacrificia, multasqué supplicationes Deo, & Deiparæ offerentes sanitatem, & publicam salutem deprecabantur. Quoniam autem numerus ægrotantium nonnihil crescebat, Præfecti Sanitati aliam etiam plura Lazzarecta extra Vrbem, & valdè distantia erexerunt.

 Mul-

*Multiplicatis Lazzarectis timor, & hor-
ror in Ciuitate quotidie diminuebatur, &
ægrotantium, & mortuorum numerus de-
crescebat; ægrotantes etiam ad Lazza-
recta sese ferri libenter sinebant. Lazza-
recta plura pro diuersitate ægrotantium in-
ter se diuersa quoquè erant; nam in alijs
lethali, in alijs salutari morbo affecti, in
alijs conualescentes, in alijs suspecti, in alijs
Quarantenam agentes commorabantur.
Omnibus his Lazzarectis omnia medica-
menta abundantissimé, & pijssimè ab vno
Hospitali Sanctæ Mariæ Nouæ comuniter
dicto semper elargita fuerunt. Mense Ia-
nuarij non dum elapso, Aquilone iam satis
spirante; Luna autem crescente ægroti mul-
ti sanabantur, pauci autem moriebantur.
Gaudebat vniuersa Ciuitas tanquàm re-
nati essent qui sanati fuerant, & nunquam
morituri qui non ægrotauerant. Serenissi-
mus Ferdinandus, vt vltimum Contagij
finem videret, Quarantenam duplicem,
politicam vnam, sacram alteram concele-*

brari

brari voluit. Politica talis fuit: Vnicuiq; Ciuitatis Sexterio Illustrissimum Senatorem præfecit, cuius imperio agenda omnia agebantur. In vnoquoquè etiam Sexterio triginta viros nobiles elegit, & vnicuiquè viro nobili quinquaginta domus alendas distribuit. Vnicuiquè autem domui viri nobiles alimenta quotidie ministrabant. Omnes domus tàm nobilium, & diuitum, quàm ignobilium, & pauperum clausæ erant; & sicut ex illis vnus, sic ex istis nullus exire poterat; vnus autem ille neq; mulier, neq; puer esse debebat. Ingredi nemini licebat, nisi necessariò. Sicut diuitibus nullum, sic pauperibus copiosum alimentum dabatur. Alimentum erat Panis, Vinum, Caro, Oryza, Caseum; Item Oleum, Acetum, Sal, Ligna, Carbones, & alia tùm necessaria, tùm vtilia, abundanter tamen omnia. Exultabant pauperes clausi, quia in carceribus, vt liberi; in paupertate vt diuites; in ignobilitate vt nobiles viuebant. Regia potius,

quàm

quam politica Quarantena erat, nam Serenissimus Ferdinandus æmulus Auroræ (seruato decoro) equitando sæpè totam Ciuitatem perlustrabat. Et illo prætereunte resonabat laudibus æter, iteratisquè laudibus pauperes clausi ad Cœlum vsq; illum efferebant, & illi salutem præcantes, valdequè clamantes dicebant, valeat, valeat, viuat, viuat Serenissimus Ferdinandus. Rustica Quarantena fuit etiam concelebrata, in qua prædium colentes in prædio; operarij in terminis ducentorum passuum à domu propria clausi erant. Vnus exire poterat, sed neq; mulier, neq; puer, ingredi autem nullus nisi necessariò. Alimentum dabatur operarijs tantum, & erat Panis triticeus ab viris nobilibus similiter distributus. Peractis Quarantenis, deleto Contagio, domibusquè reclusis, tàm nobiles, & diuites, quàm ignobiles, & pauperes, tàm fœminæ, quàm pueri, tàm ciuiles, quàm rustici paulatim omnes liberi facti sunt. Numerus eorum, qui in hoc

anno

anno quouis morbo, quouis loco, siue intra, siue extra per tria miliaria circa Vrbem, curati, & non curati mortui sunt, nouem milium vix completus fuit. Sacram Quarantenam sacra persona describet.



HISTO-




ET DISS
ELEVAT
IPAT



HISTORIÆ INTERPRETATIO.

1 

ABENTE Anno 1630. bellantibus in Italia Ferdinando II. Imperatore Augusto, & Serenissimo Carolo Gonzaga Mant. & Mont. Ferr. Duce meritissimo, Pestis, vel Pestilentes morbi (vt ferunt) per totam ferè Galliam Cisalpinam nimis seuerè spatiati fuerant.

Nimis aliena, parumq; cognita nobis sunt, quæ dicenda forent de bello Italico inter præfatos Principes; necnon de Peste, vel morbis

peſtilentibus, qui ferè per totam Galliam Ciſalpinam tunc temporis graſſati fuerant, quorum quidèm meminit Hiſtoria, ſed quia nihil aliud addit, ideò omnia illa alij viderint. Nos noſtra agentes, quid Florentiæ Patriæ noſtræ in hoc anno contigerit (prout Hiſtoria refert) breuiter pro viribus explicabimus.

2 *Ineunte autem Autumno.*

Autumnum eſſe peſſimum omnium temporum nemo eſt, qui neſciat, ille enim vitæ noſtræ toto diametro pugnat, & opponitur, cùm iſta in calido, & humido, ille autem in frigido, & ſicco ſedem ſuam habeat. Autumnus eſt ſimilis ſenectuti, quæ ſimiliter eſt frigida, & ſicca, ſed ſicut iſta terminatur ad mortem, ſic ille eſt via ad interitum, & ideò in Autumno multa vegetabilia exiccantur, & multa animalia moriuntur. In Autumno etiam pulſus malus eſt, nam eſt ſimilis pulſui ſenum. Non ſolum autem Autumnus ipſe peſſimus eſt, ſed etiam ferè omnia, quæ producuntur in illo, vt poma, fructus, & alia multa, ſicut Hipp. & Galen docent lib. 3. de humoribus; vnde Auic. dixit, *Caue tibi à fructibus Autumni*. Amplius, omnium ætatum, & corporum alia ad alia tempora benè, vel malè ſe habent,

vt scribit Hipp. lib. 3. Aph. sed in Autumno nulla corpora benè se habent, ille enim malus est omnibus ætatibus, naturis, & regionibus, vt Galen. docet lib. 3. Aph. 18. In Autumno, vt plurimùm generatur Pestis, nam aer subtilis iàm factus ab calore æstiuo facilius recipit omnes impressiones, & qualitates, quæ postea in Autumno ab calore iàm diminuto, & debili resolui non possunt; vnde benè dixit Hipp. lib. 3. Aph. *Autumno fiunt morbi magna ex parte acutissimi, & perniciosissimi;* & lib. 6. Epid. ait, *Ferinum Autumno*, per ferinum intelligens malignitatem, & perniciem, cùm in eo omne ferinum, malignum, & exitiale malum generetur. Summo iure igitur Historia, cùm de Peste, & contagiosis morbis ageretur, Autumni mentionem fecit.

3 *Florentiæ quoquè.*

Alma Florentia omnium Vrbium dubio procul pulcherrima, vniuerso Orbi iàm iàm satis notissima, sua fama, suisq; meritis contentissima nihil indiget, vt de ea aliquid dicamus. Verbum illud copulatiuum, *Quoquè*, potiùs declaremus, quod quidem continuationem non contagij, sed temporis significat; quasi dicat Historia, quòd post bellum, & Pestem,

aut pestilentes morbos illos, qui Galliam Cisalpinam populati fuerant, Florentiæ quoquè, aliqui morbi contagiosi exorti sunt, non autem quòd aliquid contagij ab Gallia Cisalpinam Florentiæ communicatum fuerit, illius enim nullum signum, nullaque peregrina causa cognita fuit.

4 *Serenissimo Ferdinando II. Magno Hetruriæ Duce Heroicè Dominante.*

Deus àm iàm antiquitus semper dictus fuit *Optimus, Maximus*; Optimus quidem ob illius bonitatem, & sapientiam, Maximus autem ob illius potentiam. Istæ sunt illæ duæ virtutes, quibus ipse Deus totum Cœlum, Naturamq; gubernat, & quibus ipse cuncta excellit. Principes huius Mundi, cùm sint tanquàm Dij terreni, Deum prò viribus imitantes, sapientia, & potentia Rempub. gubernare conantur: & sicut Deus omnes Principes sapientia, & potentia antecellit, sic Principes omnes alios homines sapientia, & potentia superare debent; & ideò dixit Plato, *Naturæ quadam lege sapientia, & potentia excellens in idem tendunt, semperquè ista duo se inuicem affectant, persequuntur, congrediuntur*, vt apparet non solùm in ipso Deo, sed etiam in hominibus;

vnde ipse Plato dabat hoc pręceptum, *vt Principes honorent sapientes, & sapientes libenter Principibus consulant*, cum istæ duæ virtutes in Principibus summopere requirantur; nam sapientia absque potentia paucis prodest, & potentia sine sapientia multis obest. Potentia sine sapientia quò maior est, eo perniciosior; vnde Plato ait, *Potentium ignorantia deterrima est*. Arist. etiam lib. 1. Rethor. dixit, *Sapere quidem regale est, & virum Principem maximè decet*. Sapientia autem sine potentia manca, & ferè nulla esse videtur. Felicissima igitur copula est, quando in vno, eodemque animo illæ duæ virtutes insunt, maximè autem in Principibus, illi enim debent omnes alios homines his virtutibus superare, quantum viri pueros prudentia superant; & ideò dixit Plato, *Oportet Principes plus ab alijs differre, quàm viri à pueris differunt*. Galen. etiam scripsit ad Pisonem, *Imperatores antecellunt omnes, non solùm quia à Dijs sunt Imperium aßecuti, sed etiam quia libenter in vniuersos omnia bona Deos imitati conferunt maximam imperandi partem arbitrantes comunis salutis procurationem*. Non solùm autem requiritur in Principibus Dei Optimi Maximi pro viribus imitatio, sed requiritur etiam Dei auxilium ad hoc,

vt rectè gubernent, nam, vt ait Arist. in Polit. *Ciuitatem rectè gubernare non est possibile, Diuinæ enim potentiæ id opus est.* Plato etiam pluries dixit, *Rempub. rectè gubernare est donum Dei, nec quis confidat se absque Diuina mente, & gratia Rempub. rectè, & feliciter se gubernaturum, nam sicut bestiæ multæ ab vna sola, nisi sub humano Pastore rectè duci non possunt, ita nequè homines multi feliciter ab vno quodam Rege, nisi & vnus ille regatur à Deo, cum regendi facultas non aliunde, quàm à Deo habeatur.* Serenissimum Ferdinandum II. Deum pro viribus imitantem, diuinitus afflatum, sapientiam, & potentiam, omnesque alias virtutes Heroicè exercentem, Rempub suam faustè, & feliciter gubernare testis est tota Hetruria; vnde à suis Ciuibus summus illi debetur honor, & laus, nihil enim maius Ciues suo Principi reddere possunt, quàm sit *Honor, & laus, cum sint merces, & præmium rectè gubernantibus*, vt scribit Arist. in Ethic. Sed quia non est huius loci Serenissimi Ferdinandi nunc dicere laudes, ideò relinquamus hoc opus illis, qui vitam illius describere voluerint, & satis sit nobis verba illa declarasse, *Heroicè Dominante*, vt quanto iure Historicus illa addiderit, innotescat.

s Non

5 *Non Pestis.*

Probatiſſimi nonnulli viri opinati ſunt, quòd in Italia non ſit Peſtis adeò ſepæ, vt priſcis temporibus, immo quòd iam diù non adfuit, aut ſaltè leuis, quia in illa eſt morbus gallicus, & ex quo tempore morbus iſte eſt in Italia, Peſtis ferè nunquàm audita eſt, aut ſaltem leuis. Ratio autem illorum eſt, quia cum morbus gallicus ſit Peſtis, vicem ſubit alterius Peſtis, cum non poſſint eſſe ſimul duæ Peſtes. Si vera eſſet hæc opino, Florentia certè tutiſſima eſſet à Peſte, cùm morbus gallicus fortaſſe ſuper abundat in illa, & verum diceret Hiſtoria, dùm ait, *Non Peſtis.* Nos autem dicimus, Verbum illud ſignificare, quòd Florentiæ verè, & realiter non fuit Peſtis etiam ſi morbus gallicus ibi non adeſſet, *nam Peſtis eſt morbus communis ab aeris corruptione genitus multos interficiens:* At Florentię aer in hoc anno fuit ſemper ita ſerenus, & purus, vt nunquam amplius. Pauci etiam mortui ſunt, & illi ſolùm pauperes, vt dicetur inferius. Veriſſimè ergo dicit Hiſtoria, quòd Florentiæ non fuit Peſtis.

6 *Sed contagioſi morbi.*

Si Peſtis eſt morbus contagioſus, communis, & à tota ſubſtantja. Similiter, ſi morbi

con-

contagiosi sunt Pestis, morbus communis, & à tota substantia, ad quid tantùm discriminis ponere inter Pestem, & contagiosos morbos, cum conueniant? Respondemus, quòd cùm contagium sit quid occultum, & à tota substantia, iure potest appellari Pestis. Similiter, cùm Pestis sit contagiosa, & contagiosi morbi sint Pestis, patet, quòd ratione contagij conueniunt, nempè in genere, sed in specie non conueniunt, nam morbi contagiosi, aut sunt lethales, vt est vera Pestis; aut non lethales, vt elephantiasis; aut cum febre, aut sine febre; aut ab causa interna, aut externa, aut ab vtraq; geniti, vt scabies; aut sunt communes vniuerso corpori, vt morbus gallicus; aut vni tantum parti, vt lippitudo, & alij aliter: quarè secundum has species, & differentias inter se differunt, licet sint omnes contagiosi morbi, & vnusquisq; appellari possit Pestis. Quoniam autem Florentiæ non fuit vera Pestis, lethalis, ab aere corrupto genita, ideò declarare oportebat, quænam Pestis illa, & quis contagiosus morbus ille fuerit. Sed oritur dubitatio, cùr aliqui morbi sint contagiosi, aliqui autem non? Item, cùr morbus est contagiosus, sanitas autem non est contagiosa? Item, cur mor-

bus

bus gallicus nunquàm ab aere corrupto, neq́; ab causa interna, sed semper externa, & per contactum generatur? Causa huius dubitationis est ipsemet Hipp. qui lib. de nat. Hominis ait, *Omnes morbi fiunt, aut ab aere, aut ab dięta.* Respondemus, illi morbi sunt contagiosi, qui fiunt ab humore, aut halitu, aut spiritu glutinoso, corrupto, cutaneo, & morbifero, qui contagio appropinquantem inficit; illi enim impertitus ibi manet, quia glutinosus est, morbumq́; sibi similem facit, vt Arist. docet in Problem. Alij autem morbi non sunt contagiosi, quia non taliter fiunt licet cutanei sint. Sanitas non est contagiosa, quia est in habitu, vel potiùs quidam habitus; at habitus non potest moueri ab eo, cuius est habitus, aliter non esset habitus; habitus enim est altera natura. Morbi verò, quia sunt in actu, & possunt moueri ab subiecto in subiectum, & alijs corporibus communicari, aliaq́; corpora afficere, ideò contagiosi sunt. Morbus gallicus fuit diuinitus immissus ad flagellum Veneris, illiusq́; sectatorum, & contagio, propagationeq́; solùm seruatur; ita vt si extingueretur, non amplius naturaliter regeneraretur, quia natura non habet illius ideam, sicut aliorum

 mor-

morborum, qui ſecundùm naturam fiunt.

7 *Super pauperes, & egenos tantùm.*

Sicut aliquis morbus vnam tantùm corporis partem afficere poteſt, vt lippitudo oculos, ſic contagioſus morbus aliquis vnam tantùm Ciuitatis partem afficere poteſt. Ratio autem cur pauperes, & egenos tantùm morbi iſti affecerint, eſt, quia ſapientiſſima natura, vt melius corpus noſtrum tueretur, genuit in ipſo partes aliquas nobiles, & robuſtas, vt cor, & viſcera; aliquas etiam minus nobiles, & minus robuſtas, vt venæ, arteriæ, caro, & ſimilia; aliquas autem omnino ignobiles, & imbecillas, vt cutis, & glandulę. Partes nobiles, ſicut & minus nobiles inter potentias naturales habent expultricem; qua ſiquid ſuperflui, aut moleſti habent, ad partes inferiores, & omnino ignobiles, imbecillaſq; tranſmittunt; & ſicut partes nobiles ad minus nobiles, ſic minus nobiles ad omnino ignobiles, debileſq; tranſmittunt. Partes omnino ignobiles, & imbecillæ, cùm non habeant facultatem expultricem, non poſſunt expellere moleſtiam ad alias partes, vnde neceſſariò ęgrotant, morbiſq; multis ſubiciuntur. Quoniam autem pauperes, & egeni ſunt totius Ciuitatis pars

ignobilior, & debilior, nec possunt molestias ad alios transmittere, ideò necessariò, siquid mali in Ciuitate est, ipsi recipiunt, & retinent, cùm sint glandulæ Ciuitatis, sicut glandulæ sunt pauperes corporis. Pauperes, & egeni non solùm morbos corporis, sed animi etiam magis, faciliusq; quàm alij homines recipiunt; sunt autem animi morbi ipsa vitia; vnde Plato dixit, *Sicut morbi sunt vitia corporis, sic vitia sunt animi morbi*, quibus quidem abundant pauperes, & egeni, vt potè qui omni virtute carent, & necessitate coacti omnia vitia perpetrant; & ideò de illis loquens idem Plato, ait, *Pauperes, & mendici sunt fures, latrones, sacrilegi, & omnium scelerum auctores*; & hinc est, quòd illos in sua Repub. nunquàm admittebat. Sed quia ratio ista potiùs est moralis, quàm naturalis, ideò rationes naturales inferius dicemus.

8 *Exorti sunt*.

Quasi dicat Historicus, siquis scire vellet ab ouo horum morborum originem, sciat, quòd ipsi in Ciuitate exorti sunt, nec aliunde manarunt, nec externam vllam causam, aut principium habuerunt, cum ipsa Ciuitas illos conceperit.

9 *Equidem tunc temporis quicumq; moriebantur, plurimi, aut Bubone, aut Carbunculo, aut erysipelate, aut inflammatione, aut alio quouis, in quauis parte, tumore, aut pustula, aut vlcere, aut liuore, aut aliquo cutaneo morbo affecti moriebantur.*

Hactenus dictum fuit tempus, locus, Princeps dominans, genus morborum, & species hominum ægrotantium, sed quinam fuerint morbi illi contagiosi, narrare oportebat; nam Pestis, & contagiosi morbi non sunt vnum tantùm genus morborum, sed omnium morborum naturam induunt, & cum illis complicantur, vniunturq; siuè lethales, siuè salutares morbi sint; ita vt quiuis morbus salutaris fieri potest contagiosus, & pestilens, sicuti etiam quęuis Pestis, & contagium omnibus morbis salutaribus commisceri potest, vt est apud Hipp. in Epid. & ideò signum Pestis, contagijq; est, quando morbus de sui natura salutaris factus est exitiosus, & lethalis, vt tertiana, aut quartana febris, aut alius quiuis morbus salutaris. Qui autem fuerint morbi isti, qui Florentiam grassati fuerunt, Historia singulariter describit, quorum essentiam, causas, & symptomata, siquis nunc declarare vellet, certè stomachum, nauseamq; moueret, cùm apud omnes ferè authores

 thores

thores hæc omnia satis, appareant. Illud potius notandum est, quòd tunc temporis pauci ęgroti moriebantur, & verbum illud, *Plurimi*, non dicit multitudinem, aut magnum numerum absolutè, sed quòd magna pars illorum paucorum, qui moriebantur, aliquo ex dictis morbis affecti, moriebantur, parua autem erat illa plurima pars.

10 Non tamen quicumq; aliquo ex dictis morbis affecti erant, moriebantur, horum enim plurimi, & curati, & non curati sanabantur.

Multum referunt verba ista, si enim quicumq; tunc temporis moriebantur, aliquo ex dictis morbis cutaneis correpti moriebantur, non idcirco quicumq; illis morbis correpti erant, plurimi moriebantur, immò plurimi, & curati, & non curati sanabantur, vt inferius patebit.

11 Per annos quidem nonnullos tempora intempestiua.

Ennaratis morbis contagiosis incipit Historia illorum causas antecedentes enarrare, quarum vnam fuisse tradit, quòd per nõnullos annos tempora intempestiua fuerant, Intempestiua dicuntur tempora quando Ver, Æstas, Autumnus, & Hyems debitam suam temperiem

riem non seruant, & citius, aut tardius adue-
niunt, nec in debito gradu, aut debito tempo-
re durant, sed aut citius, aut tardius abeunt;
ita vt totus annus non sit recto ordine consti-
tutus, nec vices suas tempestiuè dispensatas ha-
beat, vnde tunc morbi mali iudicij fiunt, vt do-
cet Hipp. lib. de Aere, Aquis, & Locis, & lib 3.
Aph. 8. Ratio autem est, quia anni tempora
necessariò alterant, mutantq; corpus nostrum,
& natura impedita ab illa intempestiua tempo-
ris inęqualitate, nec debitè, nec tempestiuè di-
gerere, aut concoquere potest, nàm si tempo-
ra sunt intempestiua, & nullum ordinem ser-
uantia, morbi etiam erunt intempestiui, & nul-
lum ordinem, aut typum seruantes, cum sem-
per effectus sequatur naturam suæ causæ; vnde
neq; natura, neq; medicus possunt ordinem,
aut methodum vllam in curandis illis seruare,
impediti ab illo inordinato motu morborum.
Plato etiam in Conuiuio ex ore Eryximaci Me-
dici celeberrimi de anni temporibus loquens
dixit, *Quoties illa calida, frigida, sicca, & humida
congruum inter se sortiuntur amorem, & armoniam,
temperiemq; opportunam suscipiunt, salubrem, &
fertilem annum hominibus, animantibus omnibus,
atq; plantis afferunt, nec quidquàm lędunt.*

Contra

Contra verò, cùm pestilens, & contumeliosus amor in anni temporibus præualet, iniuria multa corrumpit; Pestem siquidem ex his oriri consueuerunt, alijq; morbi permulti, & varij, brutis, & plantis innasci, quoniam pruina glacies, grando, segetum rubigines, & putredo ex immoderato, & excedente qualitatum amore proueniunt.

12 *Incostantia.*

7. Aliam causam antecedentem adducit, & est, temporum elapsorum inconstantia; non enim solum fuerant intempestiua, sed etiam inconstantia, quæ quidem temporis constitutio est peior priore, sicut ambæ simul vnitæ sunt omnium pessimæ. Inconstantia tempora sunt, quæ in suis qualitatibus, & naturis sæpè sæpius variant, aut simul commiscentur, aut inuicem commutantur, nec vllum ordinem seruant; ex quo fit, vt morbi tunc temporis similiter sint inconstantes, nec eandem morbi naturam seruent, cum vnus cum alio commisceatur, aut in alium immutetur, nec eundem ordinem, nec eadem symptomata habeat; hoc autem fit, quia talis est etiam illorum causa, nempè ipsa temporis inconstantia. Pessimi autem sunt isti morbi, difficiles, & mali iudicij, quia ob illorum inconstantiam medicus nec illos

cogno-

cognoſcere, nec rectum iudicium ferre, nec rectè curare poteſt; & ſic natura, & ars fruſtra laborant. Similes ſunt morbi iſti hominibus inconſtantibus, qui quidem omnes mali ſunt, nam homo inconſtans numquam probus eſſe poteſt, & eſt homo ille, qui vnum incipit, aliud efficit, iterum incipit, iterumq; ab incepto deſiſtit, vnum pollicetur, aliud autem ſeruat, nec fidem vllam præſtat, & ideò dixit Ariſt. lib. 7. Ethic. *Homo prauus mutabilis eſt*; & lib. 1. etiam dixerat, *In rebus humanis nulla ſtabilitas tanta eſt, quanta in illis operationibus, quę fiunt ſecundum virtutem, & quæ illarum præſtantiores ſunt illę maximè ſtabiles ſunt*; & lib. de motu Animal. ſimiliter dixit, *Bonum ſempiternum, & quod verè, & primò bonum eſt, non aliquando quidem bonum eſt, aliquando autem non.* Vnde Deus, quia ſimpliciſſimus eſt, vna, & eadem actione, & voluptate gaudet, & cùm ſemper ſtabilis, & conſtans ſit, ideò optimus, & perfectiſſimus eſt.

13 *Pluuioſa fuerant.*

Non ſolum anni tempora intempeſtiua, & inconſtantia, ſed etiam pluuioſa fuerant, vnde copiam humiditatis gignere potuerunt, ex qua poſtea putredines, & morbi multi facillimè procreantur, maximè autem in corporibus

pau-

pauperum, qui se defendere ab qualitatibus aeris nõ possunt; non quòd humiditas sola putredinem generare possit, nam ad putredinem constituendam duo alia etiá requiruntur, nempè calor internus, & calor extraneus; licet internus præcipuè, sine quo non potest esse putredo, & ideo nix, glacies, marmor, & alia multa nunquam putrescunt, cum careant interno calore; etenim, *Putredo est corruptio natiuæ caliditatis in humido ab calore extraneo, vt docet Arist. lib. 4. Meteor. & Galen. etiam cum omnibus alijs Medicis, & Philosophis.* Si itaq; tempora fuerant pluuiosa, meritò putredines, & morbi inde multi, & exitiales oriri debuerunt.

14 *Aer tamen serenus, & purus erat.*

Tunc dicitur aer serenus, & purus, quando nec stagni, vel paludis halitu, nec ex profundo specu aura spirante, nec animalium, olerum, leguminum, alteriusq; rei putredine, fimoq; inquinatus, nec nebulosus est, sed secundum omnes suas qualitates, & substantiam debitè se habet, & tunc verè bonus aer appellatur. Sed notatu dignum est, quód aer bonus quoad suas qualitates non omni ętati, sed ratione temperamenti bonus est; aer autem bonus quoad substantiam, omni ętati, & omni temperamen-

to bonus est; ſicuti etiam ſi aer quò ad ſuas qualitates malus eſt, non omni ætati, ſed ratione temperamenti malus eſt: at ſi aer malus ſit ſecundum ſuam ſubſtantiam, tunc malus eſt omni ætati, omni temperamento, & omni regioni; & tunc verè, & propriè Peſtis eſt, quę quidem, aut omnes, aut maiorem partem occidit. Talis ſanè Peſtis Florentiæ adeſſe non poterat, quia aer ſerenus, purus, & quoad ſubſtantiam bonus erat; malus autem ſolum erat quoad ſuas qualitates non omni ætati, nec omni temperamento conuenientes; & ideò morbi multi tunc temporis exorti ſunt.

15 *Alma Tellus fructus ſuos nimis auare produxerat.*

Additur alia antecedens cauſa illorum morborum, & eſt, quòd per annos illos terra mater omnium rerum nimis exiguè, nimiſq; tenuiter alimenta, & fructus ſuos annuos produxerat, quod quidem aliter eſſe non potuerat, cum tempora fuerint intempeſtiua, inconſtantia, pluuioſa, vnde terra prauis qualitatibus aeris impedita, & agriculturæ auxilio deſtituta ſemina opportunè concipere, debitè concoquere, fructus perficere, & tempeſtiuè reddere non

po-

potuit; immo, aut nulla, aut pauca, & illa quidem praua edulia tulit, nam, vt ait Hipp. *Nullum paucum criticum*. Cum autem hæc ita fuerint, necessariò egestas, & fames subsequutæ fuerunt. Egestas autem, & fames necessariò etiam morbos exitiales, & pestilentes parere debuerunt præcipuè super pauperes, illi enim ob egestatem, & inopiam cibis prauis vescuntur, & inde, vt Galen. docet, putredo magna, venenum, & Pestis in venis illorum generatur, quorum causa est indigentia, vt Paulus Ægineta quoq; ait lib. 2. cap. 35. Summo iure igitur Historia recensendo causas antecedẽtes horum morborum addidit, quòd terra mater per annos illos nimis exiguè fructus suos, & alimenta annua tulerat, vt inde inopiam, egestatem, & famem ostenderet.

16. *Artes ferè inertes, & negocia quasi ocia fuerant.*

Iterum aliam causam affert, & est, quòd per annos illos artes Florentiæ fuerant quasi inertes, idest, sine arte, & negocia ociosa, ita vt artifices, & mercatores ociantes, nihilq; negociantes ab operibus feriabant; vnde artificibus, & mercatoribus maximum damnum prouenire necesse fuit, Florentiæ enim merca-

tura maximè viget, & artes ibi preciosæ sunt, cum inde artifices, mercatores, mercenarij, & alij multi laboriosi homines sibi alimentum quęrant. Equidem sine artibus nulla Ciuitas esse potest; & ideò dixit Arist. lib. 2. Polit. *Artifices in Ciuitate necessarium est eße, nam omnis Ciuitas artificibus, indiget, qui possint proficere ex artibus.* Similiter lib. 7. Polit. dixit, *Ciuitas debet esse sibi ipsi negociosa.* Et in eodem lib. cap. 8. ait, *Ciuitas debet necessariò habere artes, quia multis indiget vita hominis.* Plato etiam hæc scribit in Sophista, *Prometheus ex officinis Vulcani, & Mineruæ furatus est artes, quas ipse postea dedit hominibus, vt ex illis facultas viuendi contingeret.* Cicero quoq; lib. 2. Offic. ait, *Est artium multitudo, sine quibus vita omnino nulla eße potuisset.* Arist. lib. 1. Metaph. similiter dixit, *Animalia imaginatione, & memoria viuunt, homo autem arte, & ratione.* Sed infelix erat homo, qui sine artibus viuere non poterat, artes tamen non habuit à natura; vnde ait Seneca, *Natura non dat virtutes, sed ars nos bonos facit;* & ideò coactus fuit homo proprio suo ingenio artes, & disciplinas sibi adinuenire, vt quæ natura sibi denegauerat, proprio Marte, propriaq; Minerua sibi adipisceretur. Homo, cùm esset animal ciuile,

& po-

& politicum indigebat multis ad hoc, vt viueret, & benè viueret, quæ quidem non habuit à natura; vnde, vt naturę defectibus suppleret, artes, & disciplinas reperuit, & ideò dixit Arist. lib. 2. Physic. *Ars perficit naturam*, & lib. 7. Polit. ait, *Omnis ars, & omnis disciplina implere vult id, quod deest naturæ*. Et lib. 1. Reth. etiam dicit, *Addiscere quidem iocundum, discere autem est naturæ perfectionem, & numeros assequi*. Addimus, quòd alia animalia habent animam, vt viuant, homo autem habet animam, vt viuat, & sapiat; at sine artibus, & disciplinis hoc quidem fieri non poterat, & ideò homo illas sibi adinuenit; intellectus enim noster est principium artis, sicut Deus est principium naturæ, & quæ Deus facit per naturam, homo facit per artes, ita vt Deus, & homo omnia faciunt, sed Deus facit omnia perfectissimè, homo autem imperfectissimè. Ex dictis manifestum fit, quòd artes, & scientias appetit, & quærit homo non propter se ipsas, sed propter affectus, & necessitates, quibus homo subditus est, nam artibus, & scientijs necessitates, & affectus hominis corriguntur, & castigantur, ita vt artes, & scientiæ sunt remedium necessitatum, & affectuum ipsius hominis. Argumentum huius veritatis

sit

ſit ipſe Deus, quiquidem, quia vacat affecti-
bus, & neceſſitatibus, non indiget artibus,
neq; ſcientijs, neq; virtutibus, nec illas appetit,
nec deſiderat, & hoc, quia nihilo eget; vnde
Ariſt. lib. 2. Magn. Mor. *Dei nulla eſt virtus,
ſtantior ſiquidem omni virtute Deus, & non virtu-
te probus, nam virtus eſſet nobilior ipſo Deo.* Ho-
mo igitur artes, & ſcientias appetit, & quærit
ob ſuas neceſſitates, & affectus, & in hoc ſenſu
dixit Ariſt. lib. 1. Metaph. *Omnes homines natura
ſcire deſiderant.* Seneca etiam dixit, *Natura dedit
nobis ingenium curioſum.* Cicero quoq; lib. 1.
Offic. ait, *Omnes trahimur, & ducimur ad cogni-
tionis, & ſcientiæ cupiditatem.* Sed redeamus vn-
de digreſſi ſumus, ſi artes, & negocia feriabant,
pauperes autẽ ſuis laboribus victum ſibi com-
parare non poterant, neceſſariò inopia, & fa-
mes ſubſequutæ ſunt, vnde ſi non vera Peſtis,
morbi ſaltem lethales, exitioſi, peſtilenteſq;
exorti ſunt, vt ſuperius dictum fuit.

17 *Diæta peſſima.*

Diæta, ſiue debita victus ratio, ſiue tempe-
rantia in victu amplectitur omnes ſex res non
naturales appellatas, non enim dicitur ſolum
de cibo, & potu, vt nonnulli arbitrantur, ſed
etiam de omnibus alijs, vt ocio, exercitio, bal-

neo,

neo, venere, somno, vigilia, & de omnibus alijs, quæ quouis modo in humano corpore fiunt, vt Galen. docet 3. in 3. Epid. t. 9. Est sanè tanti momenti ipsa dięta non solum in sanitate tuenda, sed etiam in morbis ipsis fugandis, vt sola illa vtentes diù à morbis liberi, saniq; viuere possint; & ideò Socrates appellabat diętam, *Antidotum omnium morborum*, illa enim nunquam frustra suscepta dicitur, id quod de alijs remedijs, medicamentisq; dici non potest; vnde Socrates, quia temperantissimus semper fuit, & diæta optima vsus est, nunquam ægrotauit in vita sua; & hinc est, quòd diæta appellata fuit, *Socratica Antidotus*. Plato etiam in Timeo de dięta loquens ait, *Quapropter diligentia victus corrigendi, & gubernandi sunt morbi prout cuiq; datur ocium, nec difficilem, molestumq; morbum pharmacis instigandum*. In Germania dięta dicitur Conuentus magnorum Principum, in quo de summa rerum, deq; rebus maximi ponderis agitur; at in hoc sensu Medicorum etiam de debita victus ratione agentium debet actio, & iudium appellari dięta, cum illa sit maximi momenti, & principalissimum quid ad sanitatem, & vitam. Hoc autem verum esse, patet, nam errata, quæ fiunt in diæta, sunt mortis

potis-

potissima causa, sicuti debita victus ratio est præcipua causa sanitatis, & vitæ, & ideò apud Medicos primus datur diætæ locus. Scribit Gal. lib. 6. de Tuen. san. *Qui debitam diætam, & salubrem ignorant, citius moriuntur*, nam quò deterius homines diętantur, eò celeriùs pereunt. Diętatantum valet, vt dixerit Hipp. lib. de veteri Medicina, *Si diæta non esset, ars Medica neq; inuenta ab initio, neq; quæsita fuisset, sed necessitas hominum coegit Medicinam inquirere, ac inuenire, & hoc propter diætam*. Notandum tamen est, quòd præcepta ab Hipp. hominibus data respiciunt solum diuites, & ociosos, non autem pauperes, egenos, & laboriosos homines, illi enim possunt diætę seruare præcepta, cum sibi ipsis inseruire, & proprijs commodis vacare, possint; isti autem ob inopiam tempori occasioni, & necessitati seruire coguntur, & quod possunt, non quod volunt, aut deberent, bibunt, & commedunt, & quandò, & quantum, & quale accipiunt secundum quòd sors illorum tulerit, nam fame ducti sæpè sæpius aqua, herbis, & victu ferino vtuntur, *Fames enim*, vt ait Hipp. *magnam potentiam habet in naturam hominis, non solum debilitandi, sed etiam occidendi*, *at miserrimum est fame perire*, vt dicit Plato.

Si

Si ergo pauperes necessitate, & fame impulsi diæta ferina, pessimaq; vsi fuerunt, cachochimia etiam pessima inde orta fuit; ex cacochimia autem pessima pessimi, exitiales, pestilentesq; morbi necessariò fieri debuerunt. Sed dicet aliquis, pauperes poterant tali victu ferino vti, & tamen sani, & longæui esse, nam antiquitus, & ab initio homines tali victu vtebantur, & tamen sani, & longæui erant, vt scribit Hipp. lib. de veteri Medicina: Respondemus cum ipso Hipp. quòd hoc erat ob consuetudinem, & homines robustos solum, & victum illum concoquere, superareq; potentes diutius perdurasse, & restitisse; imbecilliori autem natura præditos perijsse. sed nostris temporibus corpora non sunt illi victui assueta, & nimis imbecilla, debiliaq; sunt, nec victum illum tolerare possent; & ideò tot edulia multa arte parata excogitata fuerunt.

18 *Incontinentia maxima pauperes præcipuè vsi fuerant.*

Incontinentiam, & delicias esse corporeę voluptatis excessum, & illum quidem vituperabilem testis est Arist. in Eth. nam, vt ipse ait, *In voluptatibus naturalibus pauci peccant præterquam in excessu.* Et licet nemo cupiat intempe-

rantem esse, attamen omnes homines volup-
tatem appetunt, quia, vt ipse docet lib. 7. Eth. *In omnibus est quid diuini ad voluptates*, quas quidem appetunt homines, non vt incontinentes fiant, sed quia illæ suaues sunt, & ideò lib. 10. Eth. dixit, *Homines cum ratione voluptatem appetunt, illa enim perficit vitam vniuscuiusque, quæ quidem expetibilis est*: Et lib. 2. Eth. etiam dixerat, *Voluptas cunctis hominibus ab ipsis incunabulis est enutrita, & ideò difficile est hunc affectum vitæ insitum extrudere*. Vnde quæsitum fuit antiquitus, vt ipse scribit, *an homines appetant viuere propter voluptatem, an voluptatem propter ipsum viuere*: Et hinc est, quòd voluptates ab omnibus amantur, & illi facillimè homines assuescunt, assuefactio enim fit sine labore cum iocunditate. Preterea, voluptatis appetitus est insatiabilis, & vt ait Arist. lib. 2. Polit. *Infinita est cupiditatis natura, ad cuius expletionem plurimi viuúnt*. Item, *Ab voluptatibus abstinere est admodum difficile, & ideò facillimè homines incontinentes fiunt, & omnia illa agunt, quæ voluptatem afferunt, & quę maximè cupiunt, & quorum cupiditate ducuntur, illa omnibus alijs anteponunt*; & ideò omnia cōtra rationem agunt, incontinentia enim est rationi contraria, sicut cupiditates ferè om-

nes

nes ſunt contra rationem, cùm incontinentes non cupiant quæ, qualia, quanta, & quandò conuenit; vnde vituperabilis eſt incontinens, cùm ſine ratione voluptatem ſequatur, & quò magis illa gaudet, eò magis impeditur ab illa, nemoquè, dum eſt in illa, mente aliquid conſpicit, nam, vt docet Ariſt. *Voluptas eſt impedimento prudentiæ, & virtuti.* Cicero etiam in Catone maiore dixit, *In regno voluptatis non poteſt eſſe virtus.* Vnde Ariſt. in Problem. dicit, *Duo tanquam mirabilia recenſentur, continentia in iuuenibus ditibus, & iuſtitia in pauperibus*, ratio autem eſt, quia ſummopere laudabilis eſt, qui abſtinet ab eo, quo maximè indiget, ſed iuuenes diuites fruitione, & voluptate, pauperes autem facultatibus indigent; quòd ſi abſtineant, laudabiles, & admiratione digni ſunt, cùm abſtinere ab eo, quo quis indiget, ſit admodum difficile, *Virtus autem verſatur circa difficilia, & omnia difficilia pulcra*, vt ait Ariſt. Incontinentia igitur vituperanda eſt, & certè duplici ratione, nam ſicuti corpori, ſic & animo perniciosa eſt, illi quidem quoad ſanitatem, huic autem quoad mores; vnde Plato mores reſpiciens præceptum illud dedit, *Vt filij non educentur in delicijs, deliciæ enim faciunt difficiles,*

morosos, iracundos, & leui ad causa excitabundos iuuenum mores. Quòd incontinentia sanitatem corporis offendat, immò sit radix, & semen ferè omnium morborum notum quidem est, nam antiquitus, & primis illis temporibus homines erant longęui, quia continentes erant; vnde Plato lib. 3. de Repub. & Galen. ad Trasibulum asserunt, quod *illa tertia medicinæ pars, quæ diætetica appellatur, non erat tempore Æsculapij, & suorum filiorum, & ideò Æsculapius, & eius Filij curabant ægrotos sola pharmacia, & chyrurgia, nulla diætæ habita ratione; ægrotos autem illos solos curabant, qui morbo aliquo extrinsecus illato, & subitò ægrotantes erant; corpora verò interiori corruptione morbosa nequaquam curabant, nec aggrediebantur; homines enim natura, & incontinentia morbosos viuere, nec sibi ipsis, nec alijs conferre putabant, nec circa illos versari artem, neq; esse curandos, nam & ipsi malè viuunt, & valetudinarios filios generant.* Amplius addit ibi Plato, *Absurdum etiam est homines Medicis egere, non ad vulnera sananda, morbosq; curandos intemperiæ aeris, aut casibus contingentes, sed plurimùm ad destillationes, & spiritus intumescentis interioris impetum ob molitiem, atq; desidiam, & quem in victu supra nominauimus luxum, quibus effectum est, vt homines lacuna-*

rum

rum instar aqua, flatuq; exuberantium nimis op-pleti coegerint peritos Æsculapij successores, morbos quosdam nouo nomine, idest, destillationes, inflationes, viscerum crepitus appellare, quiquidem morbi tempore Æsculapij non erant; & ratio est, quia tunc homines continentes erant. Amplius dicit Plato, *Malè se habet illa Ciuitas, in qua sunt multi Medici, & multi Iudices*, isti enim seditiosos, illi autem incontinentes homines significant. Vnde manifestum sit, quòd priscis temporibus non erant catharri, neq; flatus, neq; viscerum crepitus, & quòd incontinentes non sunt curandi tanquam insanabiles, nec est pro illis medicinæ locus. Nostris temporibus incontinentia vbiq; viget, Florentiæ autem maximè floret, vbi homines non solum longæui non sunt, vt antiquitus, immò breuem, & mortosam vitam ducunt, vbi tot sunt catharri, & fluxiones ad omnes partes, vbi tot nephritici, colici, podagrici, & arthetici dolores, vbi tot hemitritei, vbi tot febres malignę, & pestilentiales, vbi tot apoplexiæ, vbi tot (horresco referens) singulis annis repentinę mortes, vbi corpora adeò debilia sunt, adeoq; resolubilia, vt ne leuem quidem morbum ferre possint, vbi egroti fere omnes moriuntur, sanatur quasi

nul-

nullus. Moritur æger, ait Galen. aut quia imbecillis est licet morbus sit paruus, aut quia morbus est magnus licet vires sint robustę, aut morbus est magnus, vires autem debiles; sed Florentiæ ægroti omnes omnibus his tribus modis moriuntur, tanta est corporum cacochimia, tantaq; virium debilitas: & hinc est, quod primo die vocatus Medicus non dubia remedia proponit, sed certam mortem prædicit, itaut nec ipse Æsculapius curam illorum aggrederetur: horum autem omnium causa incontinentia sola est. Florentię mulieres sunt adeò imbecilles, vt sacra Dei adire nequeunt, nisi tardis curribus vehantur, aut robustis seruorum, famularumq; brachijs fulciantur; & inde fit, quod plurimæ illarum steriles sunt, & si concipiunt, abortiuntur; & si parturiunt, filiolos non vitales, & valetudinarios pariunt; & hæc ob incontinentiam, & delicias fiunt. Florentiæ non solum senes, sed etiam iuuenes, & adolescentuli qualitates aeris non tolerantes Biretum, vel Galerum, vulgo dictum, *Berrettino*, assiduè in capite ferunt, ne à catharro, fluxioneq; lædantur; sed errant toto Cęlo, nam si Galerus grauis est, caput nimis debilitat, non enim tàm validum caput est, quod à nimia, & gra-

& graui opertura non debilitetur; si caput nimis opertum teneatur, nimis incalescit, maximè autem si de sui natura calidum sit; capite autem excalefacto pori capitis magis aperiuntur, & qualitates aeris magis, faciliusq; ingrediuntur, & ideò dixit Galen. lib. de Arte Medicinali, *Caput calidum habentes facilius ab omnibus ijs, quę foris aduenıunt, inter quæ aer ambiens continetur, implentur, & grauantur, pręcipuè autem si non solum calida, sed etiam si humida capita illa fuerint.* Auicen. quoq; idem confirmat lib. 3. fen. 5. tract. 1. cap. 11. Si Galerus leuis est, similiter calefaciendo poros capitis aperit, & qualitas aeris facilius ingreditur, præcipuè autem quia Galerus, vt plurimum fit, & componitur ex materia admodum subtili, & rara, sicuti setacea; quæ qualitati aeris patentem aditum præbet; vnde malum est assuescere à pueritia gestare Galerum, quia offendit, & non defendit caput, & ideò Licurgus Lacedæmonijs hanc dedit legem, *Vt puerorum capita semper cutetenus abrasa, & etiam detecta essent*; & hoc ad capitis validitatem, & robur. Additur, gestantes Galerum citiùs canescunt, & citiùs senescunt; vnde Arist. lib. 3. de Hist. Anim. ait, *Canescere pilos ocyùs opertos, quàm detectos, difflatusquè*

aduer-

aduertimus. Sed redeamus ad incontinentiam, quę quidem non ſolum diuites, ſed pauperes etiam reſpicit, licet non eadem ratione, nam diuites ſunt incontinentes ob voluptatem, & voluntariè ęgrotant, cùm incontinentia ſit voluntaria, ſicut ferè omnes morborum cauſæ ſunt voluntariæ, vt ſcribit Ariſt. lib. 1. Magn. Moral. & Auerr. lib. 7. Colliget. Pauperes autem ſunt incontinentes non voluntariè, ſed ob inopiam coactè, cum non voluptati, ſed indigentiæ obbediant, & non quid, quale, quantum, aut quandò conuenit, aut vellent, reſpiciunt, ſed quid, quale, quantum, & quandò poſſunt, ſumere coguntur; & ſi ob inopiam incontinentes ſunt, & ęgrotant, inuitè, & coactè egrotant. Itaq; cum dictum fuerit, quòd pauperum diæta peſſima fuit, quæ neceſſariò morbos peſſimos, & exitiales parit, ſicut peperit in hoc anno; rationabiliter Hiſtoria pauperum incontinentiam inter cauſas horum morborum exitialium poſuit.

19 Sereniſſimus Ferdinandus Pater pauperum.

Ariſt. in Polit. laudat Homerum, quia Iouem appellauit Patrem, cum ille eſſet Rex Hominum, & Deorum; & ratio eſt, *quia Patris imperium Regium eſt, Regem autem excellere oportet.*

At

At multo magis laudari debet Historicus noster, quia Serenissimum Ferdinandum appellauit non solum Patrem, sed pauperum Patrem, cum ille sit magnus Dux Hetruriæ; & hoc, vt non solum illius imperium Regium, sed etiam vt Paternum illius amorem erga suos pauperes ostenderet, qui quidem amor sicuti misericordia, & pietate omnes alios amores antecellit, sic & seipsum in illo superexcellit. Deus, & natura in animis hominum misericordiam, & pietatem instituerunt, vt cum illis humanæ vitæ ratio haberetur: & certè in animis hominum necessarij erant, sicut & sunt isti duo affectus, nàm cum esset homo imbecillior omnibus alijs animantibus, quę quidem armauit natura contra vim temporum, & alias incursiones, & miserias; sed quia homini nihil horum dedit, ideò vice illorum misericordiæ, & pietatis erga alium hominem homini dedit affectum; nimis etenim infelix esset homo, nisi in hominibus erga alios homines misericordia esset, & pietas. Isti duo affectus, maximè autem erga pauperes heroicè sedent tanquam in propria sphera, in animo Serenîss. Ferdinandi, & misericordiæ, & pietatis idea in animo illius verè iacet; argumentum sint Aurum & Argentum,

quod ipse in hoc biennio non solum Florentiæ, sed totius Hetruriæ pauperibus liberalissimè, & munificentissimè largitus est, itaut in istis affectibus non solum omnibus alijs hominibus, sed etiam omnibus alijs Principibus ipse potest esse verum exemplar. Laudemus ergò Historicum nostrum, quia Serenissimum Ferdinandum appellauit Patrem, & pauperum Patrem.

20 *Illustrissimis Senatoribus Sanitati Præfectis.*

Si Deus omnipotens, à quò pendet Cęlum, & tota natura, & est causa causarum omnium principalissima agit per secundas suas causas, & illis facultatem, & vires agendi largissimè dilargitur, & illis vt instrumentis suis vtitur, vt fines suos semper optimos consequatur; multò magis Serenissimus Ferdinandus, licet sit totius Hetruriæ magnus Dux per secundas suas causas, & media idonea, debitaq; instrumenta agere, gubernare, finesq; suos adipisci debet: & ideò illustrissimis Senatoribus Sanitati Præfectis tanquam secundis suis causis, & medijs idoneis, instrumentisq; vsus est; & illis facultatem, vires, authoritatemq; maximam dedit; adhoc, vt amatos suos pauperes ab contagiosis morbis liberarent. Præfectos autem Sanitati

illos

illos nominauit, non vt Sanitati imperarent (nemo enim humanè imperat Sanitati) ſed vt Sanitati ſeruirent; nam neq; Medicus, neq; Medicina imperant Sanitati, at illi ſeruiant ad hoc, vt ipſa fiat, & ſit; & ſi quis in Medicina imperat, ille in Sanitatis gratiam imperat: Sanitas equidem imperat, & eſt ipſo Medico, & Medicina nobilior, cum Medicus, & Medicina in gratiam Sanitatis ſemper agant; & ſi imperant, ſeruiendo illi imperant ob excellentiam, & nobilitatem illius; eſt enim Sanitas, ſicut Deus, (vt Peripateticè loquamur) *Non autem iubendo imperat Deus, ſed ob ſuam excellentiam omnia illi ſeruiunt, ipſe enim nullo indiget,* ait Ariſt. in Eth. Illuſtriſſimi igitur Senatores Sanitati Præfecti nominati ſunt, non vt Sanitati imperarent, ſed, vt omnibus alijs imperando illi ſeruirent.

21 *Imperauit, vt rectè conſulentes.*

Iuppiter humanę ſaluti conſulens miſit Mercurium, qui pudorem, & iuſtitiam omnibus hominibus dedit, ſed non ſicut artes, quæ aliquibus ſolum diſtributę ſunt, & vnus pro multis ſufficit, cum vnus hanc, alius aliam, alius etiam nullam artem exerceat; pudorem autem, & iuſtitiam omnes homines habere voluit Iuppiter, ſicut ſcribit Plato in Sophiſta;

& ideo turpe esset, si quis pudorem, & iustitiam non haberet; non turpe autem esset, si quis vnam solam artem, aut nullam haberet, cum omnes homines artes omnes habere non teneantur. Illustrissimi Sanitatis Presides, cum viri nobiles essent, artem Medicam non callebant, nec Medicinæ peritos consulere illos dedecebat. Summa igitur prudentia motus Serenissimus Ferdinandus imperauit, vt in re tanti ponderis rectè consulerent; rectè autem tunc consuluerint, quandò peritiores, & sapientiores Medicos consuluerint. Sed dicet aliquis, qui nam sunt isti Medici? Respondetur, sunt illi, qui virtute solum ducti mercedem nullam accipiunt; vnde scribit Hipp. *Argentum mihi neq; natura, neq; Deus promittere poterit, neq; vos cogatis, sed liberæ artis opera etiam libera esse sinatis; & qui mercedem capiunt, hi scientias seruire cogunt, veluti captiuas facientes illas ex priori libertate*. Thessalus etiam Hipp.^s filius, & Atheniensium Medicus, cum per tres annos proprijs sumptibus seruiuisset, nullam vnquam mercedem ab illis accipere voluit. Æsculapius Apollinis filius, quia auro ductus pecuniosum quendam ægrotum extrema ægritudine oppressum curauit, fulmine percussus periijt, licet Socra-

tes

tes apud Platonem hoc reiciat dicens, *Si Æsculapius Dei filius fuit, turpis lucri auidum illum fuisse nego, sed si turpis lucri auidus ipse fuit, Dei filius non erat*, vt apparet lib. 3. de Repub. mercedem Medici turpe lucrum appellans. Arist. quoq; lib. 3. Polit. ait, *Medici, qui secundum rationem, & artem medentur, recusant mercedem accipere, cum sanos egrotos fecerint*. Similiter peritiores, & sapientiores Medici sunt illi, qui senes sunt, ob magnam experientiam, & scientiam, quę requiruntur in illis, nam experientia sine scientia, sicuti scientia sine experientia parum iuuant. Et si quis hęc ita esse negaret dicens, quod experientia, ars, & scientia sunt vnum, & idem, cum ab experientia fiat ars, & ab experientia, & arte fiat scientia: Respondemus, quod experientia, ars, & scientia sunt quidem vnum, & idem realiter, attamen ratione differunt, nam experientia respicit singularia, ars autem, & scientia respiciunt vniuersalia, & ratio est, quia experientia quatenus est in mente dicitur scientia, & quatenus reducitur ad actum dicitur ars. Item experientia non differt ab arte quoad agendum (vtraq; enim respicit actionem) sed scientia sola manet in mente actionem non respiciens; & ideò verum

est,

est, quod experientia, ars, & scientia sunt vnum, & idem quoad cognitionem, differunt autem quoad actionem: quarè bonus Medicus debet habere experientiam, artem, & scientiam artis, non autem experientiam solam, aut scientiam solam. Sed iterum dicet aliquis, quisnam est vtilior Medicus, an qui experientiam solam sine scientia, an qui scientiam solam sine experientia possidet? Respondetur, quod experientia sola quoad agendum est vtilior arte, & scientia, quia illæ cognitionem solam respiciunt, at ars, & scientia sunt digniores, & perfectiores ipsa experientia, quæ quidem est vtilior, quia rem magis attingit, cum sit circa singularia, & indiuidua ipsa cognoscat; ars autem, & scientia cognoscunt solum vniuersalia, quæ non cadunt in curationem, curatur enim indiuiduum, & circa illud Medicina fatigat. Medicus itaq; habens artem, & scientiam sine experientia, quia cognoscit solum vniuersalia, & non singularia, minus vtilis est, & medendo semper peccabit, licet sit nobilior, & dignior Medico experientiam solam habente. Iterum dicet, cur Medicus habens artem, & scientiam dignior, & nobilior est Medico experientiam solam habente? Respōdetur, quod

Me-

Medicus sciens cognoscit causas, & propter quid illius rei, quam scit, & cognoscit, sed Medicus experientiam solam habens nescit causas, & propter quid illius rei, cuius habet experimentum, & est sicut res inanimatæ, quę agunt sine vlla cognitione, vt ignis comburit sine vlla cognitione suę combustionis, natura enim comburit, & non ratione. Est etiam nobilior, & dignior, nam sciens potest alium docere suam artem, at expertus alium docere non potest, quia sola experientia sine vlla ratione, vel scientia ducitur. Iterum dicet, si Medicus expertus est vtilior, quia versatur circa indiuiduum, circa quod Medicina laborat, quis nam est ille Medicus expertus, & quænam est illa experientia, quæ magis est vtilis, quàm ars, & scientia? Respondetur, quod vera, & vtilis experientia illa est, quæ facta est in se ipso, & in corpore proprio magis, quàm in alieno, sicut scribit Hipp. lib. de Præceptionibus, dum ait, *Sensus autem perpessus iam delegator est eorum, quæ subiacent; & obueniunt ad ipsam cogitationem; qui verò sensus sæpè mala perpessus est, & suscepit, quibus, quandò, qualiter læsus sit obseruans, vt in se ipsum reponens recordatur.* Plato etiam quasi discipulus Hipp. lib. 3. de Repub. dicit. *Boni*

Medi-

Medici sunt quicumq; fuerint cum sanis plurimis, plurimisq; ægrotantibus conuersati; & Medici sapientissimi euadunt, si ab ineunte ætate vltra discendæ artis studium inter plurimos corpore malè affectos conuersarentur, ipsiq; omni morborum genere laborauerint, naturaq; imbecilla, & valetudinarij essent, non enim corpore corpus curant, sed anima corpus curant. Bonus Medicus etiam ille est, qui fortunatus est, nam fortuna inter causas sanitatis numeratur, immo datur illi primus locus ab ipsis Medicis, vt est apud Galen. lib. 11. Met. med. & apud Celsum lib. 7. & apud Hipp. lib. de arte, vbi dicit, *Ego autem non priuabo quidem ipse fortunam tanquam nihil operæ pręcij faciat; puto enim quod sicut in morbis malè curatis est infortunium, sic in benè curatis est bona fortuna.* Boni igitur Medici illi sunt, qui fortunati sunt, qui mercedes non accipiunt, & non experimentum solum, aut scientiam solam, sed scientiam, & experientiam simul habent; & ideò dixit Hipp. in lib. de Præceptionibus, *Et non ratiocinationi prius probabili intentum curam aggredi, sed exercitationi cum ratione.* Illustrissimi Senatores summa prudentia præditi in re tanti momenti Medicos tales (quod fieri potuit) consuluerunt.

22 *Omni-*

Quæstio est Politica, & satis curiosa, vtrum natura sit aliquis Dominus, aliquis autem seruus. Diximus, *Natura*, nam electione, lege, & necessitate sunt quidem serui multi; sed questio est, vtrum talis sit ordo nature, vt vnus nascatur Dominus, & alius seruus: huic quæstioni respondet Arist. lib. 1. Polit. dicens, *Natura aliquis est Dominus, & aliquis est seruus; Domini sunt illi, qui tantum ab alijs distant, quantum animus à corpore, & homo à bestia: quorumcumq; autem opus est in corporis vsu, & hoc est in eis potissimum, hi sunt natura serui*: quasi dicat Arist. illi sunt natura Domini, qui mente, virtute, & sapientia pollent; serui autem sunt illi, qui corpore tantum valent, nam sicut illi seruire nequeunt, sic isti imperare nesciunt. Diuinus Plato hoc idem prius dixerat, nam lib. 3. de Repub. docet, qui nam verè sunt illi, qui Domini sunt, & qui nam sunt illi, qui verè serui sunt, & ait, *Cum Deus vos formaret, quicumq; vestrum ad imperandum idonei nati sunt, Aurum in eorum generatione ipsis admiscuit, propter quod honoratissimi sunt; ferrum deniq; atq; aes agricolis, atq; alijs artificibus.* Et per Aurum intelligit Plato virtutem, & sapientiam, cum illi realiter sint Domini, qui vir-

tute, & ſapientia præſtant, & illi ſint ſerui, qui opera corporis tantum valent, vt ſunt artifices, & agricolę. Quod autẽ Plato per Aurum illud diuinum intelligat virtutem, & ſapientiam teſtis eſt Ariſt. lib. 2. Polit. Florentiæ, & in tota Hetruria vnus ſolus pręcipuè ingenio, virtute, & ſapientia pollet, & in illis alios omnes antecellit, & ideò vnus ſolus Dominus eſt, & alij omnes, qui imperant, virtute illius imperant. Quoniam autem Contagium erat quid maximum de maximis, & de vna omnium ſalute, & interitu tunc agebatur; & quoniam vnuſquiſq; pro comuni beneficio aliquam nauare operam poterat; vt vnuſquiſq; etiam nauare illam cogeretur, Sereniſſimus Ferdinandus Sanitati Præfectis imperando authoritatem ſummam contribuit, qua omnibus alijs hominibus imperarent, non vt Domini, ſed vt inſtrumentum animatum Principis; ille enim ſolus virtute, & ſapientia maximè valet, & ſolus diuino illo Auro eminenter pręditus eſt; & ideò rectè dixit Hiſtoria, quod Princeps Senatoribus imperauit, vt illi poſtea omnibus alijs hominibus imperarent.

23 *Nullis ſumptibus parcentes.*

Sunt duæ virtutes morales, quæ ſorores di-

cun-

cuntur, & ſunt Liberalitas, & Magnificentia; vtraq; enim circa ſumptus verſatur, ſed differunt in gradu, nam Liberalitas, quæ eſt ſoror minor, verſatur circa omnes ſumptus, & liberales actus; Magnificentia autem, quę eſt ſoror maior, verſatur circa magnos actus liberales, magnoſq; ſumptus, & illam magnitudine ſolum vincit, vt ipſius nomen declarat. Eſt & alia virtus moralis, quæ ſi non eſt illarum ſoror, eſt tamen affinis magnificentię, & iſta eſt Magnanimitas, quæ conuenit cum Magnificentia, quia ambæ magnitudinem reſpiciunt, differunt autem, quia Magnificentia magnos actus liberales, & ſumptus magnos, Magnanimitas autem magnos honores intendit, magnanimus enim non quemlibet honorem, ſed magnos honores intendit, non à quolibet, vt vulgu, & multitudine, ſed ab probis viris, & potius ab vno ſolo viro ſapiente, quam ab tota multitudine, & plebe attributos appetit, vt ſcribit Ariſt. in Eth. Sicut autem Magnificentia Liberalitatem in magnitudine ſuperat, ſic Magnanimitas Magnificentiam magnitudine, præſtantia, & nobilitate vincit: & ſi Magnificentia magnos ſumptus, Magnanimitas magnos honores reſpicit, & tantum Magnanimi-

tas Magnificentiam ſuperat, quantum honor pecuniam antecellit; *At honor eſt omnium bonorum externorum maximum, vnde Dijs tribuitur,* ſicut ait Ariſt, Quare Magnanimitas non ſolum Liberalitatem, & Magnificentiam, ſed etiam omnes alias virtutes ſuperexcellit, immò Magnanimitas eſt ornamentum, & decus omnium aliarum virtutum; ratio autem eſt, quia Magnanimitas omnibus alijs virtutibus honorem affert, maioreſq; illas reddit cum honore magno illas exercendo. Sereniſſimus Ferdinandus, cum ſit magnus Dux, & magna ſemper reſpiciat, & agat, omnesq; virtutes heroicè poſſideat, vt non ſolum Liberalitatem, & Magnificẽtiam, ſed Magnanimitatem etiam ſuam præcipuè oſtenderet, Sanitati Præfectis imperauit, vt nullis ſumptibus parcerẽt; quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, omnes meos theſauros impendite, & omnia mea ęraria effundite, dummodo contagioſi morbi extinguantur: quamuis Magnanimitatem ſuam heroicam reſpiciens paruum quid dicere ſibi viſus eſt, nam, vt ait Ariſt. lib. 4. Eth. *Magnanimo nihil eſt magnum.*

24 *Contagioſos morbos, quoad humanè fieri poſſit.*

Doctiſſimus Galen. docet, quod quatuor præſtat Medicus circa corpus humanum, nam

 ſanat

ſanat ægrotum, ſanum conſeruat, præſeruat ſanum; & ſanum in meliorem ſtatum deducit. Sanat contrarijs, conſeruat ſimilibus, pręſeruat contrarijs, & ſanum contrarijs in meliorem ſtatum ducit. At ſępè ſępius accidit, quod Medicus hęc quatuor non ſolum pręſtare non poteſt, immò ſunt aliqui morbi, quos circa Medicus oleum, & operam perdit, nam vt ſcribit Auerr. lib. 7. Colliget, morbi ſunt triplici differentia, aliqui enim ab ſola natura ſine Medico, & Medicinis ſanantur, aliqui ab natura, & Medico ſimul iunctis ſanantur, aliqui autem neq; à natura, & Medico ſimul ſanari poſſunt. Morbi, qui à natura ſimul cum Medico ſanari non poſſunt, ſunt aliqui morbi occulti, & ab tota ſubſtantia circa quos natura, & Medicus fruſtra laboránt, ſunt autem morbi iſti, qui fiunt nulla præcedente cauſa externa, ſiue interna, quiquidem dicuntur morbi ſpontanei, & cum ſilentio inuadentes, ideſt, ſine vlla cauſa, aut ſigno præcedente, de quibus diceebat Eſiodus;

Morbi die, noctuq; homines inuadunt,
Mala mortalibus afferentes cum ſilentio,
Quoniam vocem illis abſtulit Pater cõſilij Iuppiter.

Quod autem iſti morbi occulti, & à tota ſub-

ſtantia

ſtantia dentur, & ſint, teſtes ſunt omnes Medici, maximè autem Galen. lib. de Arte med. & Hipp. lib. 1. Prognoſt. dum ait, *Ediſcere oportet, ſiquid Diuini eſt in morbis*, per verbum illud, *Diuini*, intelligens morbos occultos, & à tota ſubſtantia, quiquidem non habent locum in curatione. Aliquando etiam morbi iſti occulti proueniunt ab ira Dei opt. max. ob multa peccata, & ſcelera noſtra, & illis etiam nihil Medicina prodeſt; cum ab ſolo Deo medela petenda ſit; vnde antiquitus morbos aliquando ad iram Deorum referendos, & ab ipſis Dijs opes poſci, deprecariq; ſolitum eſſe, dixit Homerus. Hipp. quoq; lib. de natura Muliebri, ait, *Muliebrium morborum cauſam aliquando maximè Numen eſſe, & oportet eum, qui hæc rectè tractare velit, primum quidem à Dijs exordiri*. Gal. etiam lib. 1. Ep. dicit, *Peſtis eſt morbus talis, vt ad Deos illam referunt, qui de ea curanda conſulunt.* Et ideò morbi occulti, neq; à natura, & Medico ſimul ſanari poſſunt, nec Medicus finem ſuum conſequitur, licet Medicina ſit vera ars, neq; mirum hoc eſſe debet, nam etiam agricultura, & nautarum ars veræ ſunt, attamen, vt plurimum, finem ſuum non attingunt. Dubitari poteſt, cur morbi occulti, & à tota ſub-

ſtantia ſanari non poſſunt, morbi autem manifeſti ſanari poſſunt? Reſpondemus, quod ſicut morbi ſunt occulti, ita & illorum remedia ſunt occulta; ſunt autem remedia occulta, & à Medicis cognoſci non poſſunt, quia non pendent ex mixtione primarum, aut ſecundarum, aut tertiarum qualitatum, ſed à tota ſubſtantia, vt lib. 5. Collig. ſcribit Auerr. Morborum autem manifeſtorum remedia non ab tota ſubſtantia, ſed ab mixtione manifeſtarum dictarum qualitatum pendent, quæ quidem à Medicis apprehendi poſſunt, & hinc eſt, quod Medicina non poteſt omnes morbos ſanare; vnde Hipp. lib. 1. Prognoſt. dixit, *Impoſſibile eſt ſanos facere omnes ægrotos*. Auicen. etiam lib. 1. dicit, *Medicina non eſt ars, quæ nos ſecuros faciat à morte, neq; corpus ab extrinſecis nocumentis muniat, neq; vnumquodq; corpus ad vltimam vitæ longitudinem perducat*. Et Auerr. 1. Collig. ait, *Medicina eſt ars, in qua quæritur conſeruatio ſanitatis corporis humani, & remotio ſuę ægritudinis ſecundum quod poſſibile eſt in quolibet corpore, nam finis iſtius artis non eſt ad ſanitatem omnino, ſed ad faciendum illud, quod poſſibile eſt*. Et Hipp. lib. de Arte dixit, *Eorum, qui à morbis victi ſunt, curationem non aggredi, cum id in confeſſo ſit, quod*

Medi-

Medicina tales sanare non possit. Dubitari etiam potest, cur Medicina in morbis quoq; manifestis non semper finem suum consequatur, & sit ars incerta, cum habeat sua principia vera, certa; & perpetua? Respondemus, Medicina est ars incerta, nec finem suum semper consequitur, quia licet habeat sua principia vera, certa, & perpetua, illa tamen non sufficiunt, cum sint nimis vniuersalia, & particularibus curandis parum conferentia, nam particularia habent sua propria præcepta ab habitu, & temperamento proprio pendentia, quæ curationem etiam propriam, sibiq; conuenientem, non autem vniuersalem, & genericam requirunt, vt habemus à Galen. lib. 1. ad Glauconem, & lib. 3. Met. med. & lib. 6. de Tuenda san. & alijs in locis; & ideò dixit Arist. lib. 10. Eth. *Differunt priuata instituta ab publicis, veluti in Medicina; vniuersaliter enim febricitanti confert inedia, & quies, alicui tamen forsan non conducit. Magister etiam ludi non omnibus pugilibus eandem pugnam imponit: singula autem magis exactè fieri videntur adhibita cura priuata, magis enim potitur quisq; quod sibi congruum est*. Et paulò inferius addit; *Neq; enim Medici fiunt ex libris, & licet illi conentur curationem dicere, tamen dicere etiam debent modum,*

per

per quem medela ſit tradenda, & vt conuenit curare habitu cuiuſcumq; distincto. Antiquiores etiam dicebant teſte Ariſt. lib. 3. Polit. *Medicari ſecundum litteras fatuum eſt; & in omni arte litteris pręcipere fatuum eſt*. Auerr. lib. 3. Collect. idem confirmans dixit, *Neq; ſolis vniuerſalibus Theorematum ſcopis fidendum, quippè experientia principia quæq; particularia indiuiduorum ſuppeditat, quæ litteris ad vnguem explicare non poſſumus; quare quò minus Medicinam exactè calleamus in cauſa eſt, quod experimento magis, quam ratione ſtabilitur*. Cornel. Celſ. etiam lib. 3. ait, *Refert, qualis morbus ſit, quale corpus, quale Cęlum, quæ ætas, quod tempus anni, minimeq; in rebus multum inter ſe differentibus, quod intermittendum non eſt, perpetuum eſſe præceptum temporis poteſt*. Auerr. quoq; lib. 2. Collig. & lib. 1. Collect. ſcribit, *Multi Medici, quorum vnus eſt Galenus, ſtudent attribuere res vniuerſales entibus particularibus, & decipiuntur*. Medicinæ præcepta vniuerſalia ſunt ſicut Ciuitatis leges vniuerſales, at leges ſolum vniuerſaliter prouidere, non autem particulariter de his, quæ accidunt, iubere perſpicuum eſt; vnde Plato lib. de Regno dixit, *Lex nequit, quod optimum eſt omnibus, & iuſtiſſimum ſimul, & ſincerè comprehendens ſemper, vt operæ præcium eſt,*

præcipere. Hominum ſane, actionumq; diſſimilitudines, & inſtabilis, variaq; humanarum rerum conditio faciunt, vt ars nulla poſſit ſimplex aliquid, & vniuerſale de cunctis per omne tempus decernere; legem enim cernimus ad hoc ipſum niti, quaſi hominem quendam pertinacem, & imperitum, qui nihil agi præter illius inſtitutum permittat, neq; interrogari etiam, ſiquid noui præter illius ordinem potius, meliuſq; alicui ſit: at fieri non poteſt, vt certus quidam, & ſimplex ordo ſit bonus circa illa, quę varia ſemper ſunt, & ſimplicia nunquam. Medicina etiam non conſequitur finem ſuum, licet habeat ſua principia certa, & perpetua, quia etiam ſingularia omnia curanda habent ſua propria præcepta ab temperamento, habitu, & diſpoſitione pendentia, quæ curationem quoq; ſibi propriam requirunt, & aliter ſanari non poſſunt, vt dictum eſt, & ſi quæ ſanantur, fortuitò ſanantur. Quoniam autem iſta principia, & præcepta particularia imperceptibilia ſunt, & ab Medico ſciri, cognoſciq; non poſſunt, & non ſolum certa, & perpetua non ſunt, immo fallacia, incerta, & varia ſunt, cum in indiuiduo fundata ſint, quod aſſiduè variatur, & in continuo fluxu verſatur, ideò etiam ſingularia, & indiuidua curari, & ſanari non poſ-

ſunt,

ſunt, cum Medicus agat circa ſingularia, quæ non cadunt ſub aliquam certam regulam, aut præceptionem vllam, nec illorum eſt vlla cognitio, aut ſcientia, vt docet Ariſt. varijs in locis, maximè autem lib. 2. Eth. cap. 2. Auerr. lib. 6. Collig. cap. 1. hæc eadem firmans dicit, *Medicina agit, & operatur circa ſingularia, & indiuidua, quæ quidem omnia ſuas proprias præparationes, & diſpoſitiones fixas habent in ipſomet indiuiduo, quæ ſunt ignotę, nec poßunt ſciri, neque cognoſci à Medico, cum ſint materiales diſpoſitiones, & præparationes, & ſunt quaſi infinitæ, nec habent ſigna propria, quibus ſciri, & cognoſci poſſint. Notiſſimum autem eſt apud Philoſophos, quod quælibet materia habet ſua propria accidentia, & fixa ſine illis accidentibus, quę manant à forma, & quod accidentia, quæ pendent à materia, ſunt cauſa multitudinis varietatum, quæ ſunt in indiuiduis, ſicut accidentia propria formæ ſunt cauſa multitudinis varietatum, quæ circa mores hominum cognoſcuntur, & fiunt*. Medicina etiam non conſequitur finem ſuum, licet habeat ſua principia certa, & perpetua, ſicut habent omnes aliæ artes, quia vt ait Raſes, *Medicina indiget multis medijs, quæ habere impoſſibile eſt*. Hipp. quoq; lib. de Arte idem aſſerit, dum ait, *Multis medijs, & remedijs*

indiget Medicina ad ſanitatem obtinendam, quæ habere non eſt illi poſſibile. Vnde patet, quod Medicina finem ſuum non conſequitur, licet habeat principia certa, & æterna, quia principia vniuerſalia non ſufficiunt; principia particularia non percipiuntur; & media ad ſanandum requiſita ignorantur. Et hinc diſcant ægroti, quantum ſpei in ſuis curandis morbis ab arte medica elicere poſſint. Cum itaq; aliqui morbi ſanari nunquam poſſint, aliqui autem per quam difficillimè, aut potius fortuito, ideò prudentiſſimè illa fuerunt addita verba, *Quoad humanè fieri poſſit*.

25 *Radicitus euellerent*.

Dubitant nonnulli, an laborantes morbis illis, qui per circuitus ſuas habent acceſſiones, in diebus illis, in quibus non fit acceſſio, ęgrotent ne, an ſani ſint. Reſpondemus cum Galeno lib. 5. de Plac. Hipp. & Plat. & lib. 4. Aph. 63. quod dum adeſt febris, & acceſſio, tunc illi verè ægrotant, ſed in diebus medijs ægrotare non dicuntur, ratio autem eſt, quia tunc nulla lęditur actio, licet habeant in ſe diſpoſitionem, & potentiam tanquam fontem, & focum ad nouas acceſſiones, attamen in actu non ægrotant. Sunt equidem ægroti illi ſicut homi-

homines vitiosi, & improbi, qui dum dormiunt, nihil vitiosè, aut improbè agunt, nihilominus dicuntur vitiosi, & improbi ob prauum habitum, prauuamq; illorum dispositionem, quam postea in vigilijs actu exercent; & tam diù durat reditus ille accessionum, quàm diù durat praua illa dispositio, & malus affectus. Dubitant similiter, an in diebus medijs inter primum morbum, & recidiuam, siue relapsum corpora ægrotent, an sana sint; huic dubitationi facit satis superius allata responsio. Dubitant iterum, vtrum relapsus sit idem morbus cum priori, an sint duo morbi distincti. Respondemus, quod sunt vnus morbus, vnus inquimus specie, nomine, & indiuiduo, ratio autem est, quia tunc relapsus verus est, quandò vterq; morbus habet eandem definitionem, nomen, & materiam, ex qua fiunt, vt si post tertianam redeat tertiana, aut post quartanam redeat quartana, & sic de alijs; nam si post tertianam rediret quartana, aut pleuritis, aut alius morbus diuersus ab tertiana, tunc non diceretur relapsus, sed nouus morbus, itaut si post tertianam redit tertiana, tunc dicitur verus relapsus, & sunt vnus solus morbus definitione, nomine, & numero, nam conueniunt non so-

lum

lum definitione, & nomine, sed etiam materia, per quam sunt vnus, & idem morbus numero, cum materia faciat hoc aliquid, & indiuiduum; itaut si aliqua portio materiæ remansit in corpore ex primo morbo, ex eadem illa materia fit, & generatur idem morbus numero cum primo morbo, quia indiuiduum fit ratione materiæ, non autem efficientis, efficiens enim dat formam, & speciem, non indiuiduum. Si relapsus fieret ab efficiente, tunc non esset verus relapsus, nam licet illi morbi essent vnus morbus, attamen essent vnus morbus specie, & nomine, non autem numero, cum efficiens non constituat indiuiduum, sicuti dictum fuit. Quod relapsus sit vnus morbus numero cum sua radice patet authoritate Hipp. qui lib. 3. Ep. Ægroto secundo ait, *Liberatus fuit à febre decimoquarto die, septimodecimo autem iterum febricitauit; & iterum vigesimo febris fuit expers; quarto autem, & vigesimo febris redijt: tandem vigesimoseptimo moritur*. Hipp. similiter lib. 3. comm. 3. Ægroto octauo dicit, *Vigesimo die sudauit, febre liberatus est omnino; vigesimoseptimo febris redijt; trigesimoquarto in toto corpore sudauit calidum sudorem, cessauit febris, perfectè iudicatus est*. Vnde patet, quod Hipp. iungit relapsum

cum

cum primo morbo, & semper numerat dies ab die primi morbi, non autem à die relapsus. Dubitant etiam, an relapsus sit peior sua radice: Respondemus, quod data paritate morbi, causarum, & symptomatum semper recidiua est peior sua radice, maximè autem si celeriter, & post paucos dies accidat; & hoc ob virium debilitatem ex primo morbo, quæ secundo morbo sufficere non possunt, sicut priori, & ideò Auic. lib. 4. dixit, *Recidiua est deterior sua radice, & consilium est, vt in ea non fiat festinatio ad curandum, nam vt plurimnm est sæua*. Similiter in eodem lib. dixit, *Recidiua est peior sua radice, quia ægritudo redit, & virtus est debilis, & defessa*. Amplius addit ibi, *Recidiua est deterior sua radice, quæ est velocior*, idest, quæ statim fit post morbum, & est cum virtute debili. Ex dictis apparet, quod tunc corpora dicuntur sana, quandò nec in actu, nec in habitu, nec dispositione ægrotant, nec aliquid causæ materialis, aut efficientis, aut alterius affectus remansit in illis, nec relapsus fieri potest, sed morbus in totum iudicatus est; vnde Hipp. lib. de Arte Medicinam definiens dixit, *Medicina est ab ægris morbos in totum tollere*: Tunc enim verè, & realiter corpora dicuntur sana, integramq́;

possi-

poſſidere ſanitatem, quam tantopere appetunt homines omnes, & ſummo quidem iure, nam ſanitas inter bona humana externa primum obtinet locum; & ideò Plato lib. 1. de Legib. ait, *Omnium bonorum humanorum minorum primum eſt ſanitas*, & dixit, *Minorum*, quia bona maiora ſunt bona animæ, vt Prudentia, & aliæ virtutes. Et alibi etiam dixit, *Vna felicitatis conditio eſt, frui bona valetudine.* Cicero etiam lib. 2. Offic. ait, *Sanitas eſt voluptatibus anteponenda.* Rectiſſimè igitur imperatum fuit Sanitati Præfectis, vt contagioſos morbos radicitus, & in totum euellerent.

26 *Longum nimis eſſet omnia ſigillatim recenſere, quæ Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus Archiepiſcopus, quæq; Illuſtriſſimi Senatores in tota Hetruria, finibuſq; illius inſtituerunt.*

Hactenus tempus, locum, morbos, cauſas externas, & internas, prædictionem, & alia deſcripſit Hiſtoricus, nunc illa narrare aggreditur, quæ ad euitandos, curandoſq; contagioſos morbos Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus Archiepiſcopus Florentinus; necnon Illuſtriſſimi Senatores Sanitatis Præſides inſtituerunt, quæ duplicia erant, aliqua enim in Ciuitatibus, Oppidis, Terris, finibuſq; totius Hetruriæ;

aliqua

aliqua autem Florentiæ ſolum inſtituta fuere. Illa tanquam nimis numeroſa, nimiſq; remota prætermittit; iſta licet proxima, non tamen omnia, præcipua tantum deſcribit Hiſtoricus; illa contagium, quod ab alijs regionibus ad noſtram deferri poterat, repellendum; iſta autem Florentiæ genitum, ſanandumq; reſpiciebant.

27 *Jlle in Eccleſijs Aquam benedictam, Conciones, & pias Societates.*

Neminem latet, quod Aqua facillimè alteratur, & putreſcit, vt authoritates, & rationes Philoſophorum, & Medicorum demonſtrant; Ariſt. lib.4. Meteor. ait, *Aqua putreſcit*. Plato lib. 8. de legib. dicit, *Aqua facillimè corrumpitur, & venenis afficitur*. Hipp. lib. de Aere, Aquis, & Locis idem aſſerit. Galen. Auicen. & omnes Medici idem confitentur. Rationes autem, cur Aqua tàm facilè corrumpatur, ſunt, quia ipſa eſt tenuium partium, vt docet Ariſt. lib. de ſenſu; necnon Galen. lib. 1. de Simp. med. fac. cap. 14. Quod autem Aqua ſit tenuium partium patet, nam illa facilè penetrat per poros noſtri corporis, facilè exhalat, facilè reſoluitur, & promptiſſimè per pilos, & veſtimenta perfluit, & hoc quia ob humiditatem, & molli-

tiem ſine aliqua viſcoſitate partes obtinet diuiſibiles, quæ facilè in minimas partes diſtrahi poſſint, vt Gal. docet, & hinc eſt, quod Aqua facillimè alienas qualitates, & materias recipit, & facillimè alteratur, & corrumpitur, & quò tenuioris ſubſtantiæ eſt, eò etiam facilius alteratur, & putreſcit; & ideò Aqua pluuioſa facilius, quàm omnes aliæ aquæ alteratur, & corrumpitur, cum ſit omnium aquarum ſubtiliſſima, ſicuti etiam Aqua cocta facilius alteratur, quàm Aqua non cocta, cum illa ſit tenuioris ſubſtanti[illegible]; quarè coquitur Aqua, vt ſubtilior fiat, vnde fit, quod Aqua pluuioſa, & Aqua cocta citius calent, & citius frigent, quàm aliæ aquę. Notandum tamen eſt, quod iſtæ aquæ, licet ſint tenuioris ſubſtantię, & facillimè alterentur, & corrumpantur, ſunt tamen omnium optimæ, ſunt etenim ſicut cibus, cuius virtus, & commendatio eſt, ſi facilè alteratur, & immutatur, vt Galen. docet lib. 5. Aph. 26. Quoniam autem Aqua tàm pluuioſa, quàm cocta facilè alteratur, ideò dixit Aetius lib. 3. c. 165. *Aqua pluuioſa febribus, & his, qui bilem supernè, aut infernè reddunt, & Regio morbo incommoda eſt, mutatur enim facilè, & in bilem tranſit.* Quod Aqua pluuioſa, & Aqua cocta ſint tenuium

par-

partium, ſignum eſt, quod in illis legumina, carnes, & alia multa celerius coquuntur. Et hinc eſt, quod Auicen. lib. 1. dixit, *Aqua debuit eſſe ſubtilis, quia ingreditur illud, quod commeditur, & bibitur, non autem vt ſit nutriens, ſed vt ſit vehiculum, & nutrimentum penetrare faciat, cum nutrimentum fluidum reddat, & ipſum ſubtiliet, & citò currat; & penetret in venis, & ſine hoc auxilio non completur nutrimentum*. Addimus, quod ſunt aliquæ aquæ adeò tenues, & ſubtiles, vt nihil ſubſtineant, nihilq́; in illis ſupernatet; immò omnia in illis merguntur, vt eſt Aqua ad oppidum Podiopontium in agro Florentino poſitum, ſicuti experimentum quotidianum oſtendit. Cum itaq́; omnes homines continuò Eccleſias adeant, & vnuſquiſq́; Aquam benedictam, quæ tàm facilè alteratur, corrumpitur, & venenum ipſum recipit, ſemper tangat; ne quis contagioſo morbo affectus, Aquam, illamq́; tangentes homines coinquinare poſſet, ſed omnes ab contagio præſeruarentur, idcircò Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Archiepiſcopus Aquam benedictam in Eccleſijs prohibuit. Similiter Conciones, & pias Societates ad fugiendum contagium denegauit, cum ſine contactu non poſſit fieri con-

tagium, vt clarius declarabimus inferius.

28 Iſti Gymnaſia, Emporia, Nundinas, & omnes Congregationes prohibuerunt.

Contagium (quaſi contactu agens) eſt comunicatio morbi ſimilis in ſpecie ab corpore in corpus per debitum contactum; facillimè autem ſi adſit corporum ſimilitudo. Ad generandum contagium præter agens, & patiens neceſſariò concurrunt contactus, & fomes; aliquando etiam requiritur medium. Contactus non eſt cauſa efficiens, eſt tamen cauſa, ſine qua non poteſt fieri contagium. Fomes ſemper eſt quid præter naturam, ſiue ſit corporeus, vt humor, vapor, ſpiritus, vel aliud tale; aut incorporeus, vt pura qualitas. Fomes item ſemper eſt præcipua cauſa morbi, licet fomes non ſit morbus. Contagium, & fomes fit aliquando ab cauſa externa, vt ab aere, aut alio inquinato corpore; aliquando etiam fit ab cauſa interna, vt ab magna cacochimia, putredine, aliaq; humorum prauitate. Contagium fit etiam, vel de proſſimo, & immediatè, vel ad diſtans, & mediatè, vt ſi inter agens, & patiens intercedat aer, aut aliquid aliud, in quo ſeruetur fomes; diſtantia autem eſt maior, aut minor pro maiori, aut minori fomitis actiuitate,

& cor-

& corporum diſpoſitione, ſicut de odoribus dici ſolet. Contagium contrahitur, vel per inſpirationem, vel per tranſpirationem, vt notum eſt, contrahitur quoq; per omnes quinq; ſenſus; vt per tactum, ſicuti dictum fuit; vt per viſum, ſicut in lippitudine, & puerorum faſcinatione; vt per guſtum, ſicut in cibo, & potu; vt per odoratum, ſicut in fętore cadauerum, & putridorum corporum; vt per auditum, vt multi Authores aſſerunt, licet apud nonnullos ſit hoc admodum difficilè. Contagium etiam contrahi poteſt, & facillimè ab forti imaginatione, quia imaginatio, cum ſit facultas corporea, & educta de potentia materiæ, maximè alterat, & mutat corpus; & hinc eſt, quod fortis imaginatio eſt omnium animi paſſionum peſſima, cum morbos adducat, & proprium corpus immutet, itaut ex anima contingat in corpore mutatio temperamenti; hoc autem fit, quia fortis imaginatio habet in ſe virtutem illarum rerum, quas imaginatur; & ideò dixit Ariſt. *Alterant corpus phantaſiæ, ſenſus, & meditationes, nam phantaſiæ, & meditatio habent in ſe rerum virtutem.* Auicen. etiam dixit, *Forma, quæ eſt in anima, eſt principium eius, quod fit in materia, ſicut forma ſanitatis, quæ eſt in mente*

Medici,

Medici, est principium sanitatis, quæ fit in ægroto. Amplius addit Auicen. *Attende dispositionem infirmi cum credit se conualescere; aut sani, cum credit se ægrotare, multoties enim accidit, vt si corroboratur forma, & phantasia in anima eius, patiatur eius materia, & sequatur sanitas, aut infirmitas, & hęc actio proueniens ab anima est efficacior actione Medici cum suis instrumentis, & medicinis.* Superaddit Auicen. *Materia plus obedit animæ, quam contrarijs agentibus.* Plato quoq; dixit, *Quandò mens humana rem aliquam amat licet naturaliter non iuuatiuam sibi eam prodesse certificat, ex sola enim mentis intentione res illa corpus iuuat.* Et hinc est, quod sancti Martyres vix sentiunt dolorem in martyrio, nempè ob fortem imaginationem futuræ Diuinę glorię: & horum omnium causa vna est, quia corpus, & anima necessariò, & maximè agunt, & patiuntur adinuicem; & sicut mores animi pendent à temperamento corporis, sic temperamentum corporis sequitur animi mores, vt apparet in affectibus animi, timore, lætitia, stupore, & alijs similibus, in quibus corpus summopere afficitur: & ideò antiquitus Medici Indi, & Gręci solis animi affectibus corporis morbos curabant, quarè Galen, rectè dicebat, *Si mutantur humores ipsius*

corpo-

corporis, mutatur etiam actio animi, ſicuti animi actio mutata corporis mutat humores; nam affecta anima afficitur corpus, & affecto corpore afficitur anima, ſicuti è contra, benè ſe habente anima benè etiam ſe corpus habet, & benè ſe habente corpore benè ſe habet & anima; vnde Plato dixit, *Non poteſt curari corpus, niſi prius curetur ipſa anima*. Patet igitur, quod fortis imaginatio non ſolum mutat corpus, ſed morbos multos, magnoſq; generat, vt Peſtem, peſtilenteſq; morbos; immò inter cauſas Peſtis pręcipuas ipſa fortis imaginatio recenſetur. Itaq; cum tot, tantiſq; modis contagium contrahi poſſit, & ſine contactu nullo modo contrahatur, ideò Sanitatis Præſides, vt contactus, & contagium euitaretur, omnes Congregationes, Gymnaſia, Emporia, Nundinas, & alia omnia prohibuerunt; vnde vnio, adhęſio, & contactus corporum ſequi poſſet, ne vnum infectum multa alia inficeret, ſed omnia ab contagio præſeruarentur.

29 *Omnibus agricolis Medicorum conſilio mandauerunt, vt in proxima futura vindemia Aquam Muſto commiſcerent.*

Agere nimis acta, hominiſq; nimis ocioſi non erit nunc probare, quod Vinum aquoſum,

dilu-

dilutum, pauciferum, olygophorum à Græcis appellatum facillimè acescit, & corrumpitur, cum superiorum verborum explanationi hoc multum conferat. Vinum itaq; olygophorum facilè acescit, & corrumpitur ob copiam humiditatis, & paucitatem caloris, quæ resident in illo, quarum cum debita non sit proportio, ideò putredo ibi nascitur, quæ est corruptio natiuæ caliditatis in humido, vt omnibus Philosophis, & Medicis notum est. Idcirco dixit Galen. lib. 4. de Simpl. med. fac. *Vinum quod colligitur per assiduam pluuiam aliena humiditate plenum, aut aliquo alio modo humiditate refertum leui occasione acescit, & putrescit.* Auicen. etiam lib. 1. de Vino aquoso, & abluto loquens, & proportionem calidi, & humidi in illo respiciens dixit, *Vinum bonum, quod ablutum vocant, fit hoc modo, tres musti sumantur partes, & aquę vna, & commisceantur, & coquatur quousq; quarta pars minuatur*, ex quibus verbis patet, quod in Vino aquoso, & abluto inter calidum, & humidum debita debet esse proportio, aliter facilis est corruptio, sicut omnibus alijs corporibus accidit, in quibus non est calidi, & humidi, aliorumq; humorum conueniens symmetria, & proportio, vnde putredo, morbus,

& in-

& interitus necessariò pendent; & sicuti etiam ex debita humorum proportione, & symmetria corporum conseruatio, & sanitas, & vita nascuntur, quę humorum proportio, amicitia, & consonantia sunt ipsamet sanitas, & vita, quæ sanitas, & vita sunt ipsius Medicinæ vltimus finis; & ideò in Conuiuio Platonis, vbi conuiuati laudabant Amorem, Eryximachus Medicus eruditissimus audacter dixit, *Medicina est scientia Amoris, & Deus Amor Medicinam gubernat*; ratio autem est, quia inter humores non proportionatos, & inimicos Amorem, & concordiam Medicina producit; & sicut Musica in vocibus consonantiam, sic Medicina in humoribus concordiam, & symmetriam efficit, vnde Medicina, & Amor sunt vnum, & idem, cum Medicina, & Amor sanitatem largiantur. Notandum tamen est, quod Vinum nouum duplici calore præditum est, interno, & insito illo, externo, & ascititio isto ab ambiente, & Sole acquisito: Est etiam crassarum partium, difficilè digeritur, per venas tardè distribuitur, & parum nutrit; sicuti debita aquæ portione mixtum, & subtiliatum, calore ascititio, & extraneo penitus extincto, melius concoquitur, facilius per venas distribuitur, & cor-

pus magis nutrit. Item, Vinum nouum, siue de sui natura generosum, & inter saxa, & collibus, locisq; frigidis, & siccis; siue de sui natura olygophorum, & in planicie, & terra pingui, locisq; calidis, & humidis genitum sit, si cum aqua misceatur, & aquosum fiat, non senescit, sed acescit, & corrumpitur, vt dictum est: quod si in iuuentute sua debita aqua mixtum bibatur, licet nouum sit, attamen quia olygophorum est, tùm sanis, tùm ægrotis corporibus bonum, & vtile est; immo conuenit etiam in morbis acutis, vt vult Hipp. cum Gal. lib. 3. Acut. dum ait, *Vinum dandum est in morbis acutis, si sit aquosum, & olygophorum.* Scribit etiam Gal. lib. de Succ. Bonit. & Vitio, *Vina noua illa sola bona, quæ tenuia sunt, nam caput non petunt, sicut Vina generosa, immo potius iuuant sedatis interdum doloribus quibusdam paruis, quos contenti in ventre humores procreare solent.* Amplius dicit Galen. *Dolor capitis Vini pauciferi potu sanatur*; & lib. 11. Met. med. similiter dicit, *Vinum nouum olygophorum conuenit etiam in syncope stomatica.* In lib. de Vinis legimus, *Vina noua aquosa sola tutò bibuntur.* Quoniam autem Vinum nouum non ab ditibus, sed pauperibus bibitur, & hoc, quia vili emitur precio, ideò

Sani-

Sanitatis Præsides, vt certo scirent, quod Vinum nouum ab pauperibus in hoc anno bibendum aquosum, & olygophorum esset, omnibus agricolis mandauerunt, vt in proxima futura vindemia aquam Musto commiscerent. Sed quæret aliquis, cur Vinum inter saxa genitum generosum est, in planicie autem genitum aquosum, & olygophorum est? Respondemus, Vinum est olygophorum, quia in sui generatione multum aqueæ, parum terreæ, minus igneæ, calideq; substantiæ habens debilem in ligno vitis coctionem obtinuit, vt Gal. docet lib. 3. Acut. At in planicie multum est humiditatis, parum internæ caliditatis, quæ ab externa caliditate euocatur, debilitaturque, vnde coctio Vini fit diminuta, Vinumq; generatur olygophorum. Secus est in collibus, & inter saxa, vbi parum est humiditatis, plus terrenæ substantiæ, multum aeris, qui inter saxa collectus alimentum est spiritibus in Vino; multum etiam interni caloris ab frigiditate saxorum, & regionis per antiperistasim adaucti, probamq; coctionem efficientis, vnde Vinum spirituosum, & generosum gignitur; & ideò Alexander Aphrod. lib. 1. Aph. 57. & lib. 2. Aph. 6. dicit, *In Ægypto, quæ terra calidissima*

est, Vinum nasci solet frigidum, idest non calidum, & olygophorum, in Scythia autem, quæ terra est frigidissima, Vinum calidum fit, idest generosum; ratio autem est, quia in Ægypto calor Cęli immodicus Terram laxat, & calorem internum euocat, & absumit: in Scythia autem, quæ frigida est, frigiditate Cęli calor ad partes internas compellitur, & ob antiperistasim includitur; & sicut in Ægypto exteriora calent, interiora autem frigescunt, sic in Scythia exteriora frigent, interiora autem calent: & sicut in Ægypto Vina fiunt olygophora, sic in Scythia Vina fiunt generosa. Eadem porrò ratio est planiciei ad colles, & saxa, quæ est Ægypti ad Scythiam quoad Vini generationem. Iterum quęret, cur Vinum nouum, cum sit calidius, dupliciq; calore pręditum minus inebriat, quam vetustum? An, quia Vinum nouum crassarum partium, & indigestum est, nec vapores ad superiora emittere, nec mentem lędere potest, immo tanquam crassum, & indigestum ad inferiora transmittitur, & ventrem turbat; & si est calidum, est quidem actu, sed non potentia calidum. Vinum autem vetustum, quia digestum, defecatum, & tenuium partium est, superiora petit, & mentem lędit, & si actu frigidum

gidum apparet, eſt tamen potentia calidum. Eadem eſt ratio Vini dulcis, quod quidem vix inebriat, cum ſit craſſarum partium. Iterum quęret, cur vinum ſitim ſedat, cum ſit calidum? Reſpondemus, quod Vinum duplex eſt, vel enim eſt generoſum, & merum, vel eſt olygophorum, & aqua dilutum; Vinum illud, cum ſit calidum, non ſedat ſitim, immo illam generat, & genitam auget, & inter cauſas efficientes ſitim connumeratur; Vinum iſtud ſitim delet, nam illa eſt appetitus frigidi, & humidi, tale autem eſt Vinum aquoſum, quod ſubtilius ab Aqua redditum, & ab Aqua, vt vehiculo, per corpus delatum ſua frigiditate, & humiditate ſitim tollit. Iterum quęret, cur Aqua eſt vehiculum Vini, & non Vinum eſt vehiculum Aquæ? Ariſt. & Galen. in hoc pugnant, ille enim lib. 3. Probl. aſſerit, quod Aqua eſt vehiculum Vini, iſte autem lib. 3. Acut. & lib. 1. Simpl. med. fac. oſtentat, quod Vinum eſt vehiculum Aquæ. Vt tantos Viros conciliemus, dicamus, quod Gal. docet Aquam eſſe tenuiſſimam, ſed frigidam, frigiditas autem eſt cauſa, quod ipſa non meat, nec facilè diſtribuitur per corpus, ſublata autem frigiditate Aqua facilè diſtribuitur; & ideò Medici dant Aquã coctam

in

in morbis acutis, nam Aqua cocta facilius distribuitur. Vinum certè calidum est, & ob suam caliditatem facilè distribueretur, attamen quia crassarum partium est, ideò ob suam crassitiem non permeat, nec distribuitur; & hinc est, quòd mixtis simul Aqua, & Vino, facilis fit vtriusq; distributio, nam Aqua frigida ob Vini caliditatem distribuitur, quæ ob suam frigiditatem nō distribueretur; & Vinum crassarum partium ob Aquæ tenuitatem distribuitur, quod ob suam crassitiem non distribueretur. Sunt itaq; vehiculum sibi adinuicem Vinum, & Aqua, vt dictum est: Arist. dicit, Aquam esse vehiculum Vini crassitiem illius respiciendo; Galen. autem Vinum esse vehiculum Aquæ frigiditatem illius considerando, vnde sibi ipsis non aduersantur, sed vterq; veritatem fatetur.

30 *Canes vagos omnes interfici statuerunt.*

Canis semper fuit nuncius morborum, vt in vno quoq; genere Canis satis apparet: Canis sydus morbos prænunciat, morbos adducit, & morborum remedia impedit, & ideò dixit Hipp. lib. de Aere, Aquis, & Locis, *Periculosissima sunt ambo Solstitia, maximè verò Æstiuum; & oportet Astrorum ortus considerare præci-*

puè

pue autem Canis. Morborum etiam impedit remedia, nam, vt ait Hipp.lib.4. Aph. *Sub Cane, & ante Canem difficiles ſunt purgationes*. Canis Cerberus nō ſolum omnium morborum nuncius, ſed ipſius Inferni cuſtos habetur, vt fabulantur Poetæ. Canis Terreſtris maximè omnium eſt ſymbolum Peſtis; vnde Poetæ, cum Peſtilentiam ſignificare cupiunt, Canem per regiones Peſte affectum errare, & omnes afficere fingunt. Canis Terreſtris eſt ſymbolum Peſtis; quia rabias illius eſt ſimillima Peſti, cum vtraq; ſit morbus contagioſus lethalis omnes, aut plurimos interficiens, & ideò Ariſt. de Canis rabie dixit, *Canis rabie laborat, & quæ momorderit omnia rabiunt; intereunt rabie Canes, & quę ab illo morſa ſunt*. Et ſi Canes rabie laborant, tunc Peſtis preſtò adeſt, & hinc eſt, quod in magnis Peſtilentijs homines rabie efferantur; vnde Canis rabies, & Peſtis affinitatem magnam habent, & ferè coincidunt, vt vna poſita ponitur & altera, & vna eſt ſymbolum alterius. Non ſolum autem Canes, ſed etiam Lupi ipſi, ſi quando Ciuitates ingrediuntur, Peſtem portendunt, vnde manauit adagium illud, *Non ſine quare Lupus ad Vrbem*; & ratio eſt, quia Lupi ſunt Canibus ſimillimi, eodemq;

gene-

genere nati, itaut Lupi dici possint Canes syluester, & efferati, Canes autem Lupi familiares, & vrbani. Canes talem habent cum Peste sympathiam, vt primi semper illam præsentiant, primiq; etiam illa afficiantur. Primi Pestem sentiunt ob excellentiam sui odoratus, nam cum Pestis fiat ex putredine, & praua qualitate Aeris, tanta est Canum odoratus pręstantia, vt illam statim odoratu persentiant. Tale, tantumq; est Canum odoratus acumen, vt solo odoratu fures cognoscant, illosq; implacabili odio præter cęteros homines persequantur. Primi etiam Canes Peste laborant, quia sunt animalia putida, magnęq; putredini obnoxia, vt fętidus, omnibusq; hominibus odiosus odor illorum testatur, & ideò Homerus de Pestilentia loquens ait,

Custodes percussit primò, & Canes albos.

Et alter Poeta dixit,

Vim primi sensere Canes, mox nubibus atris
Fluxit deficiens penna labente volucris.

Ouidius etiam cecinit,

Strage Canum primò, vulturumque, ouiumque,
Boumque.

Lucretius quoq; perbelle cecinit,

in primis fida Canum vis

Strata vijs animam ponebat in omnibus ægram.

Ratio autem, cur Canes vagi primi, & maximè omnium Peste corripiantur, est, quia ipsi multa excrementa, cadauera, putridaq; alia alimenta deuorant, vnde intensæ putredini, ipsiq; Pesti summopere fiunt dispositi. Itaq; cum Canes vagi tàm facilè Pestem, & contagium contrahere, corporaq; aliena inficere possint, rectissimè Sanitatis Præsides instituerunt, vt Canes vagi omnes interficerentur, quod quidem institutum omnes Principes, & Respub. ad euitandam Pestem, & contagium semper seruare consueuerunt. Sed dicet aliquis, cur Canes vagi, non autem domestici occidebantur? An, quia Canes vagi corpora mortuorum, multaq; alimenta putida sumentes Pestem, & contagium facillimè concipere, ab alijs recipere, alijsq; corporibus per Vrbem vagantes communicare poterant; Canes autem domestici in Domibus diuitum commorantes, & alimentum bonum sumentes contagium concipere, ab alijs recipere, alienaq; corpora coinquinare difficilè poterant. Amplius dicet, cur Canes, & non feles occidebantur? An, quia feles non ita facilè, vt Canes Pestem, & contagium concipiunt, aut recipiunt, nam cibo me-

liori vtuntur, odorem fetidum, vt Canes, non reddunt, ob inimicitiam Canibus nō aderent, nec ab illis contagium ſuſcipere poſſunt. Amplius dicet, cur Canes, & feles ſunt inimici? An, quia habitant in eodem loco, & vtuntur eodem victu, vnde dixit Ariſt. lib. 9. de Hiſt. Anim. *Pugnant inter ſe animalia, quæ loca eadem incolunt, & eiſdem veſcuntur cibis, & ſi victus penuria ſit, fit certè ob eam rem, vt vel eiuſdem generis animantes pugnam inter ſe conferant.* Et etiam homines ob eandem rationem inimici ſunt, & pugnant inter ſe, vnde ait Ariſt. lib. 2. Reth. *Diligimus illos, qui nobis aliquo modo ſimiles ſunt, aut eiſdem artibus, aut eiſdem ſtudijs, ſed hoc eſt, ſi alter alteri impedimento non ſint, aut ſi non ex eadem ratione vtriq; præſidia vitæ, alimentaq; pendeant, itaut dimicare ſit illis neceſſe pro victu.* Pugnant etiam inter ſe animalia, quorum vnum eſt alteri cibus, ſicut noctuæ ſunt auiculæ; noctua enim nocte auicularum oua, & etiam auiculas ipſas in ſuis nidis exedit, vnde poſtea in die omnes auiculæ noctuam perſequendo circumuolant, & percutiunt; & hoc faciunt non propter admirationem, vt multi opinati ſunt, ſed propter inimicitiam, vt ſcribit Ariſt. ibi locorum, dum ait, *In die, vel cęteræ auiculæ*

omnes

omnes noctuam circumuolant, quod mirari vocatur, aduolantesq; percutiunt, & ideo Aucupes, ea constituta, auicularum genera multa, & varia capiunt. Amplius dicet, cur scripsit Arist. lib. 8. de Hist. Anim. cap. 22. *Quod Canes rabie laborant, & quæ momorderint omnia rabiunt excepto homine, & intereunt hoc morbo Canes, & quæ morsa sunt excepto homine?* Nam multi docent oppositum, & homines rabidi Canis morsu rabidos fieri, & rabidos mori vulgatum est. Huius difficultatis nodum soluere difficile est, attamen, vt Aristotelem sapientissimorum virorum Præceptorem dignissimum aliquo modo defendamus, pro nunc dicamus, quod multi multa gratis proferunt, & scribunt, quia impunè illa proferre, & scribere possunt; at si mendaciorum darentur penę, multa linguis, & typis mandantur, quæ silentio, & obliuioni traderentur. Vel dicamus, quod nostris temporibus ob pessimam diętam corpora sunt tali, tantaq; cacochimia, humorumq; prauitate referta, vt vnumquemq; morbum intrinsecè concipere, & vel rabiem ipsam ab extrinseco recipere facillimè possunt: Vetustis autem temporibus ob optimam diętam corpora adeò bene se habebant, vt nec ad multos morbos, nec ad rabiem ipsam erant

dispoſita; itaut rabies, quę tunc temporis non erat hominis morbus, nunc temporis eſt hominis interitus.

31 *Extra męnia iuxta Portas Ciuitatis Cancelli firmati erant, quos declinare nemini licebat.*

Dubitatum fuit ab antiquis Politicis, vtrum Ciuitas ſibi ſufficiens, optima, & perfecta debeat habere męnia, nec ne. Politici vetuſtiores opinati ſunt, quod talis Ciuitas non debet habere męnia, cum Ciues optimi, & perfecti, virtute, & ſapientia præditi illam gubernent, nec męnijs, arcibus, turribus, alijſq; præſidijs indigeat, illi enim ab hoſtibus tum internis, tum externis ſola virtute Ciuitatem defendere poſſint; ratio autem illorum erat, quia Ciuitas illa optima, & perfecta dicebatur, quæ Ciues optimos, virtute, & ſapientia præditos habet. Hanc opinionem videtur probaſſe Hipp. qui Senatui Abderitarum ſcribens, dixit, *Beati profectò ſunt populi, qui ſciunt, bonos Viros eſſe ſua munimenta, & non turres, nec muros, ſed ſapientium Virorum ſapientia conſilia.* Exemplum huius opinionis ſit Archimedes Syracuſanus, qui cũ eſſet Philoſophus, Aſtrologus, Geometra, & Machinarum bellicarũ excogitator maximus, cumq; Syracuſana Ciuitas ab Marco Marcello

Con-

Consule obsidio oppugnaretur, suo ingenio omnes conatus Marcelli frustrauit, vnde per annos illos bellum perdurauit, & Marcelli victoria diù impedita fuit; & si Ciuitas illa plures Archimedes habuisset, nunquam fortasse Marcellus illam captiuasset; & ideo Homerus de Agamenone loquens dixit,

Utinam mihi talem Decem Consultores adessent. Plato etiam lib. 6. de Legibus opinionem illam comprobauit dicens, *Męnia ad sanitatem Ciuitatibus nullo modo conducunt. Deinde mollem quendam habitum in animos inhabitantium inducere consueuerunt prouocans, vt ad ipsa confugiant, & hostes non propulsent, & vt neq; vigiles custodes semper die, noctuq; in Ciuitate habeant, sed cogitent se męnijs, & portis septos etiam dormientes re veras salutis artes habituros esse, veluti nati sint ad hoc, vt non laborent; ignorantes autem quietem ex laboribus esse, ex quietę autem labores oriri.* Arist. lib. 7. Polit. hanc dubitationem soluit dicens, quod Ciuitatibus non sufficit, vt Ciues optimi sint, sed męnia etiam illis opus sunt, & ait, *Sufficeret quidem, & illud satis esset inter pares, aut non multo excedentes multitudine, sed quia aliquando contingit, vt multo maior sit hominum multitudo, & maiori virtute superueniat, ideò męnia etiam necessaria*

faria sunt; præsertim hoc tempore, in qua Tormenta, & Machinæ ad obsidionem Vrbium cum omni subtilitate sunt adinuenta. Præterea, mœnia ad Ciuitatis ornatum faciunt. Patet igitur ex Arist. quod Ciuitas sibi sufficiens, & perfecta nō solum Ciues optimos, sed męnia etiam habere debet. Quoniam autem Contagium non solum erat excedens, sed validissimus, & acerrimus hostis, nec optimus Princeps, optimi Ciues, debita męnia, plures arces, turres multæ, arma copiosa contra illum poterant esse satis, ideò alia quædam præsidia particularia ad impugnandum illum excogitata fuerunt, quorum vnum illud fuit, quod extra męnia iuxta Portas Ciuitatis Cancelli quidam positi, & firmati erant, quos euitare, declinareq; poterat nemo, nullus enim egressus, nullus item ingressus ad Ciuitatem alius erat, & quicumq; ingredi, aut egredi volebat, necessariò ad Cancellos peruenire debebat, nec illos declinare poterat.

32 *Viri nobiles stabant ad limina Portarum, quorum sine authoritate nihil egredi, nihil ingredi poterat.*

Nullæ sunt occultæ insidiæ, quibus ad sui propagationem non vtatur Contagium; nam omnes vias perambulat, omnia loca ingredi-

tur,

tur, tacitè volans omnia contaminat, nulli parcit, & ſicut eſt omnibus immane, ſic ab eo nihil eſt immune. Et hinc eſt, quod contra ipſum alia Machina reperta fuit, nempè, vt Viri nobiles ſtantes in limine Portarum, Sanitatis vigilantiſſimi, & fideliſſimi cuſtodes, & tanquam Argi oculatiſſimi omnia proſpicientes nihil egredi, aut ingredi Ciuitatem paterentur, quod in ſe Contagium, aut illius ſuſpicionem, vel minimam præſeferret.

33 Noſocomion, vulgò Lazzeretto nominatum.

Plato in Cratylo agit de recta nominum ratione, & docet, quod vera nomina non ſunt ad placitum, ſed ſunt ipſa rei eſſentia voce, vel literis declarata. Manifeſtum autem illud eſt, quod natura nulli rei dat nomen, ſed nomina imponuntur lege, & vſu eorum, qui nomina ponunt; qui autem nomina ponunt, non ad libitum illa ponũt, ſi illa ſunt nomina vera; quod ſi nõ ſunt vera, homines ad libitum illa ponere poſſunt; ratio autem eſt, quia ſi nomina vera eſſent ad placitum poſita vnum, & idem eſſet multa, & diuerſa, nam vni rei poſſunt multi multa, & varia nomina ad placitum ponere, at cum nomen verum ſit eſſentiæ vox ſignificatiua; verumq; nomen cum eſſentia coincidat; igitur tot eſ-

ſent

ſſent vnius rei eſſentię, quot eſſent illius rei no-
mina, & ſic vnum, & idem eſſet multa, & di-
uerſa, quod eſt impoſſibile. Item, verum no-
men eſt vera imago ipſius eſſentię, at vnius rei
eſt vna eſſentia, igitur vna ſola imago, & vnum
ſolum nomen; vnde nomen verum vnius rei
non poteſt eſſe niſi vnum apud omnes gentes,
& ideo benè dixit Plato, *Nomen verum eſt imita-
tio, & imago eſſentiæ rerum ſyllabis, aut literis ex-
preſſa*. Ariſt. lib. 1. de Interpret. cap. 2. dicit,
*Nomen eſt vox ſignificatiua ſecundum placitum, &
hoc, quia nullum nomen eſt natura*. Dicit autem ad
placitum hominis, quia cum à natura non ha-
beantur nomina rerum, placuit hominibus no-
mina imponere rebus, quæ quidem non po-
nere etiam potuiſſent; ſed quia ponere pla-
cuit, ideò nomina dicuntur ad placitum poſita.
Nec Platoni aduerſatur Ariſt. nam aliud eſt po-
nere nomen, aliud eſt ponere hoc, aut illud no-
men; Ariſt. dicit, quod nomen ponere eſt ad
placitum, cum homo poſſet non ponere no-
men ſi vellet: non dicit, quod ponere hoc, aut
illud nomen ſit ad libitum, ſicuti etiam dicit
Plato, qui cum Ariſt. ſemper confiteretur,
quod ponere nomen eſt ad placitum, ſed po-
nere hoc, aut illud nomen nullo modo eſt ad

placitum hominis; sicut etiam Arist. cum Platone semper assueraret, quod ponere nomen non verum, & improprium est ad libitum hominis, sed ponere rebus nomen verum, rectum, & proprium nunquam est ad libitum hominũ. Quoniam autẽ Sanitatis Præsides locum vnum elegerunt, in quo omnes contagio affecti curarentur, & ille locus vulgò *Lazzeretto*, appellabatur, quod quidem nomen est ad placitum, nec verè significet locum, in quo ęgroti curentur, sed potius nomen alicuius hominis, qui Lazzarus nominabatur; ideò Historicus Platonis, & Aristotelis doctrinam sequutus nomen verum loco illi posuit, quod quidem locum, in quo ægrotantes curantur, significat.

34 *Vnum*.

Politici nonnulli dubitant, an Ciuitas debeat esse magna, an parua. Aliqui magnam illam esse debere affirmant, *quia Ciuitas magna beata est*, aliqui autem paruam illam esse debere contendunt, quia magnam Ciuitatem rectè gubernare admodum difficile, aut impossibile est, cum Diuinę virtutis id opus sit, non autem humanæ. Huic dubitationi respondet Arist, lib. 7. Polit. dicens, quod magna Ciuitas dupliciter sumi potest, vel enim est magna quoad

numerum habitantium, itaut sit populosa, vel est magna quoad potentiam, & virtutem gubernantium, & dat exemplum Hipp. Medici, qui dicebatur magnus non quoad staturam corporis, sed quoad virtutem; erat enim Hipp. magnus Medicus, sed non magnus Homo: sic Ciuitas debet esse magna quoad Virtutem, & Potentiam, & non quoad numerum habitantium solum; bonum quidem esset, si vtroq; modo magna esset. Florentia sanè est magna Ciuitas vtroq; modo, nam quoad Potentiam, & Virtutem gubernantium non solum est magna, immo est maxima; cum ab Serenissimo Ferdinando Secundo tanta Sapientia, Potentiaq; gubernetur, vt omnes alij Principes illum potius admirari, quàm imitari possint. Quoad numerum habitantium est etiam magna Ciuitas, cum numerus illorum nonaginta millium superet. Sed dicet aliquis, si Florentia est magna Ciuitas etiam quoad numerum habitantium, cur Lazzarectum vnum erectum fuit? An, quia tunc Contagium erat in suo primo principio, satis leue erat, ægroti erant valde pauci, spes autem magna illud fore breuiter, facileq; extinguendum. Preterea, Lazzarectum illud valde amplum erat, itaut ægroti, cum essent

sent

ſent pauci, commodè curari poterant. Poſtquam autem ægrotantium numerus, & Contagium augeri ceperunt, Lazzarecta ſimiliter aucta, duplicata, multiplicata fuerunt, vt inferius dicetur.

35 *Intra Vrbem in Hoſpitali comuniter dicto Bonifatij erexerunt.*

Quamuis Lazzarectum intra Vrbem poſitum eſſet, tamen erat valde remotum ab corde, & vmbilico Ciuitatis, cum eſſet in Hoſpitali comuniter dicto Bonifatij, quod poſitum eſt circa terminos, & vltimos fines Ciuitatis, vt omnibus notum eſt. Ciuitas etiam tutiſſima erat ab Contagio Lazzarecti ob magnas diligentias, & optimos ordines inſtitutos ad hoc, vt tota Ciuitas ab illo eſſet immunis.

36 *Quo vel leui quouis morbo cutaneo affecti.*

Superius dictum fuit, quod cutis, & glandulæ ſunt omnium noſtri corporis partium viliſſimæ, & facultatem expultricem non habentes neceſſariò praues humores, & excrementa ab toto corpore ad illas tranſmiſſa recipientes, & illa expellere nequeũtes, neceſſariò etiam ęgrotant, cum natura ſit nunquam ocioſa, ſemper faciat quod melius eſt, aſſidue ab partibus nobilibus ad partes ignobiles, & ab centro ad cir-

cumferentiam corporis quidquid molesti habet, transmittat. Dictum fuit etiam, quod per nonnullos annos tempora intempestiua, inconstantia, pluuiosa, dięta pessima, incontinentia maxima præcipuè in pauperibus fuerant, vnde in illorum corporibus magna prauorum humorum quantitas generari debuit, quam natura officio suo semper fungens ad cutim, & glandulas mittens in causa fuit, quod morbi non solum multi, sed diuersi etiam inter se fuere, & hoc ob diuersitatem humorum, variamq; corporũ dispositionem: quiquidem morbi sicut diuersi inter se erant, sic in vno similes erant, quia omnes contagiosi erant, licet aliqui lethales, aliqui verò salutares essent: qui omnes, vt facilius, & securius extirparentur, rectè statutum fuit, vt quouis leui, minimoq; cutaneo morbo affecti ad Lazzarectum omnes ducerentur, soli enim cutanei morbi contagiosi, & pestilentes putabantur. Quod autem in hoc anno soli morbi cutanei contagiosi, & pestilentes essent, pluribus argumentis demonstrari poterat, quorum vnum sumitur ex definitione Pestis, *quæ est morbus comunis omnes, aut plurimos interficiens*; at in hoc anno plurimi eorum, qui mortui sunt, aliquo morbo cutaneo

affecti

affecti mortui sunt, igitur morbi cutanei contagiosi, & pestilentes erant. Item, illud est Pestis, pestilentisq; morbi signum, quando nullo præcedente morbo plurimi ægrotantes moriuntur, quia tunc sine vlla pugna natura morbo succumbit, at in hoc anno plurimi eorum, qui mortui sunt, sine aliquo præcedenti morbo, sed solis cutaneis morbis affecti mortui sunt, igitur morbi cutanei contagiosi, & pestilentes erant. Item, datur Pestis sine febre, vt scribit Hipp. lib. 3. Epid. comm. 3. test. 25. & 55. & lib. 6. Epid. comm. 7. test. 1. & Gal. etiam lib. 9. Simpl. med. facult. cap. de Terra samia; si ergo Pestis, pestilensq; morbus potest esse sine febre, poterit etiam esse sine alijs morbis; & si sine febre, alijsq; morbis potest plurimos interficere, multo magis cum aliquo morbo cutaneo coniunctus plurimos interficere poterit: Prçter quam quod morbi illi cutanei, licet essent de se morbi, tamen erant effectus, & symptomata aliorum morborum internorum, & vt effectus, symptomata, & signum interni alicuius pestilentis morbi à Medicis considerabantur; at in hoc anno multi sine febre, alijsq; morbis, solis autem morbis cutaneis affecti mortui sunt, igitur morbi cutanei contagiosi,

gioſi, & peſtilentes erant. Item, tunc eſt Peſtis, peſtilentiſq; morbi ſignum maximum quandò vnus morbus de ſui natura ſalutaris fit lethalis, vt ſi quis periret laborans febre tertiana, aut quartana, quæ ſunt morbi de ſui natura omnium ſecuriſſimi; vnde narrat Hipp. in Epid. quod in illa aeris peſtilenti conſtitutione plurimi moriebantur quouis morbo antea eſſent affecti, ſiue de ſe lethali, ſiue ſalutari; & ratio eſt, quia Peſtis non eſt vnum tantum genus morborum, ſed cuncta genera morborum Peſtis naturam induunt, peſtiſq; vocari poſſunt, itaut omnes morbi poſſunt coniungi cum Peſte, & Peſtis cum omni morbo; & ideo dixit Ariſt. *Peſtis ex omnibus morbis maximè afficit omnes, quia ſola Peſtis eſt morbus omnibus comunis*; at in hoc anno morbi de ſui natura ſalutares (vt erant morbi illi cutanei, qui ſecundum ordinem naturæ fiunt, vt dictum eſt) facti ſunt lethales; igitur contagioſi, & peſtilentes erant. Item in nonnullis Domibus intra, & extra Vrbem poſitis familiæ quaſi integrę extinctæ fuerunt, & omnes illi mortui aliquo morbo cutaneo affecti erant, quod aliunde fieri non potuit, niſi ex eo, quod morbi erant contagioſi, & peſtilentes, & vnus infectus alios ſuos fami-

liares

liares coaffecerit. Item tunc est Pestis, pestilentisq; morbi signum, quandò corpora suapte natura probis humoribus referta, more sanorum educata, sanitate integra, & inculpata fruentia derepentè sine aliqua manifesta causa ægrotant, & moriuntur; & post mortem etiam, aut liuentia, aut nigricantia, aut tumore, aut vlcere, aut pustula, aut alio morbo cutaneo affecta conspiciuntur, aut putredinem molestam olent, aut varia ab se ipsis fiunt; sed in hoc anno multi taliter affecti mortui sunt; igitur contagiosi, & pestilentes morbi erant. Item, nullum famosum potest esse omnino falsum; vnde dixit Esiodus,

Quam populi celebrant omnino fama perire nulla potest.

At Florentiæ, in tota Hetruria, & in tota Italia famosum erat, quod morbi illi contagiosi, & pestilentes erant; igitur si non in totum, saltem quoad maiorem partem contagiosi, & pestilentes esse debebant. Sed notandum est, quod Galen. lib. 6. de Locis aff. cap. 5. docet, omnes morbos, qui fiunt ab causa externa, & per contactum, ab causa etiam interna fieri posse, & ait, *Omnes affectus illi, qui fiunt à veneno epoto, aut Peste, aut alio quouis modo, possunt etiam fieri*

ab

ab praua qualitate, & corruptione humorum. Vnde ſequitur, quod Contagium eſt probandum, & non ſupponendum in morbis. Illud etiam notandum eſt, quod morborum aliqui ſunt contagioſi, & lethales; aliqui contagioſi, ſed non lethales; aliqui etiam lethales, ſed non contagioſi; vnde ſequitur etiam, quod Contagium eſt probandum, & non ſupponendum. Stantibus hiſce ſubſtineri poteſt, quod in hoc anno Florentiæ non fuerunt verè, & realiter contagioſi morbi, ſed ſolum lethales, & exitioſi, nam Contagium hactenus à nullo vnquam probatum fuit, & argumentis facilè reſponderi poteſt: Primum argumentũ eſt Elenchus, qui peccat à ſecundum quid ad ſimpliciter; non enim valet dicere, plurimi moriuntur, ergo eſt Peſtis, ſed benè valet dicere, eſt Peſtis, ergo plurimi moriuntur; ratio autem eſt, quia ſunt multi alij morbi lethales, qui plurimos interficiunt, & non ſunt Peſtis, neq; contagioſi morbi, ſed ab praua qualitate, magnaq; humorum corruptione geniti, & non per contactum: Illud certè valet, plurimi moriuntur, igitur morbi ſunt lethales, at non ſequitur, ergo ſunt contagioſi, itaut Contagium eſt probandum, & non ad libitum proferendum.

Morbi

Morbi in hoc anno necessariò lethales esse debebant, & præcipuè circa pauperes ob superius allatas causas, quas repetere nunc odiosum esset. Sed contra hanc responsionem dicet aliquis, dantur morbi, quiquidem ab causa interna, & humorum corruptione nascuntur, & tamen sunt contagiosi, vt scabies, lippitudo, tinea, & alij morbi; non igitur sufficit dicere, morbi fiunt ab causa interna, & humore prauitate, ergo non sunt contagiosi. Responderi potest, quod argumentum istud eandem continet in se fallaciam, licet enim aliqui morbi ab causa intrinseca geniti possint esse contagiosi, non idcirco valet, omnes morbi ab causa interna geniti sunt contagiosi, nam multi, & multi sunt morbi ab causa interna geniti, quiquidem non sunt contagiosi, sunt tamen lethales, & plurimos interficiunt; & ideo Contagium est probandum in morbis, signaq; propria tradenda sunt, quibus morbi ab causa interna geniti, & contagiosi ab morbis interna causa genitis, & non contagiosis cognosci possint. Secundo argumento dici potest, verissimum quidem esse, quod pestilentiæ illud est maximum signum, quandò sine vllo præcedente morbo plurimi moriuntur; illud tamen

non est verum, quod in hoc anno plurimi sine aliquo præcedenti morbo peribant, nam omnes ęgroti aliquo morbo cutaneo affecti erant, nullusq; ad Lazzarectum ducebatur, qui cutaneo aliquo morbo non laboraret. Pręter quam quod morbi illi cutanei erát effectus, & symptomata interni alicuius præcedentis morbi, & vt symptomata, & effectus illius à Medicis considerabantur, sicuti dictum est. Tertio argumento dici potest, licet enim verum sit, quod datur Pestis sine febre, vt Hipp. & Gal. dicunt, & verum etiam sit, quod Pestis cum alijs morbis coniuncta multò magis occidere potest; non ideo verum est, quod omnis morbus, qui plurimos occidit, sit Pestis, & contagiosus lethalis, cum sint morbi multi acuti, peracuti, & lethales, qui non sunt Pestis, neq; contagiosi morbi, qui plurimos interficiunt, & ab causa interna, humorumq; prauitate geniti sunt, vt superius dictum fuit. Quando autem dicitur, quod in hoc anno plurimi sine febre, alioq; morbo coniuncto, sed solis cutaneis morbis laborantes mortui sunt, responderi potest; quod hoc est probandum, & etiam declarandum, quis nam fuit istius veritatis iustus Iudex. Quarto argumento dici potest, maximum quidem

dem Pestis illud esse signum, quando vnus morbus de se salutaris, vt tertiana, aut quartana febris, fit lethalis, & exitiosus; sicuti etiam notissimum est, quod morbi cutanei, vt cutanei sunt, de sui natura salutares sunt; attamen notandum est, quod morbus dicitur lethalis tripliciter, vel ratione morbi, vt si sit apoplexia, vel ratione loci affecti, vt si cor, aut cerebrum afficiatur, vel ratione virium, nam si vires essent debiles, etiam si morbus esset paruus, attamen dicetur magnus, vt senibus accidit, qui ob morbum paruum facilè pereunt. Similiter morbi dicuntur salutares tripliciter, vel ratione loci affecti, vel ratione morbi, vel ratione virium validarum, vt tertiana, quartana, & huiusmodi morbi, qui sunt salutares omnibus tribus modis, & non vno tantum modo. His notatis argumento dici potest, quandò morbus est salutaris omnibus tribus modis, si æger moritur, tunc est signum magnum Pestis, pestilentisq; morbi; quandò autem morbus est salutaris vno tantum modo, vt ratione loci affecti, nempè cutis, sed est lethalis omnibus alijs modis, si eger moritur, non est signum Pestis, contagiosiq; morbi, sed signum morbi lethalis: Tales autem erant morbi in hoc anno,

Quinto argumento dici poteſt, non valet illud conſequens, aliquæ familiæ quaſi integræ extinctæ fuerunt, ergo morbi erant contagioſi, potuerunt enim generari ab cauſa intrinſeca, & ab prauitate humorum, & ſicut primus ęgrotus in illis familijs ab cauſa intrinſeca, humorumq́; corruptione potuit ægrotare, ſic etiam ſecundus, tertius, quartus, & omnes alij, nam facilius ægrotant familiares eodem morbo, quam alienigeni, cum eadem vtantur diæta, eandemq́; corporum diſpoſitionem habeant.

Sexto argumento dici poteſt, veriſſimum eſſe Peſtis, peſtilentiſq́; morbi ſignum, quando corpora probis humoribus referta, ſanorum more educata, ſanitate integra fruentia derepente ſine manifeſta cauſa ægrotant, & moriuntur, necnon poſt mortem liuentia, aut nigricantia ſunt, aut tumore, vlcere, puſtula, aut morbo alio tali affecta conſpiciuntur, aut putredinem oleat, variaq́; ab ſe ipſis fiant; at falſiſſimum eſt, quod ęgrotantes, & mortui in hoc anno tales eſſent, cum illi fuerint ſolum pauperes, & egeni prauis humoribus abundantes, malè nutriti, valdè debiles, & ab cauſis manifeſtis ægrotantes; & ſi moriebantur, non contagioſo, peſtilentiq́; morbo, ſed ab cauſa interna ge-

nito, moriebantur. Septimo tandem dici potest, nullum famosum potest esse omnino falsum, sicuti etiam fama Contagij in hoc anno falsa omnino non fuit, nam si Florentiæ non fuit verum Contagium, attamen ibi fuerunt morbi lethales, & mortiferi, quiquidem genere saltem cum contagioso, pestilentiq; morbo conueniebant, nam sicut Contagium, & Pestis, sic morbi illi lethales mortem afferebant: Vnde patet, quod Contagium est probandum, & non supponendum.

37 *Siue cum febre, siue sine febre, alioq; morbo coniuncto.*

Quoniam autem omnes morbi cutanei, & soli morbi cutanei, siue lethales, siue salutares contagiosi, & pestilentes existimabantur; & quoniam fama erat, quod aliqui cutaneo morbo solo affecti sine febre, alioq; morbo coniuncto moriebantur; vt facilius, & securius morbi illi extirparentur, rectè statutum fuit, vt omnes, & soli morbo quouis cutaneo laborantes, vel cum febre, vel sine febre, alioq; morbo coniuncto ad Lazzarectum ducerentur: Vnde pateat quantopere hallucinentur iactantes dictum illud, *Neminem sine febre perire*; est enim experimento, authoritati, & ra-

tioni

tioni contrarium. Experimentum iam omnibus notum est. Authoritas est ipsius Hipp. lib. 3. Epid. comm. 3. tex. 25. & 55. & lib. 6. Epid. comm. 7. tex. 1. vbi datur Pestis sine febre, quod quidem est mirabile. Galen. etiam idem asserit lib. 9. Simpl. med. fac. cap. de Terra samia, lib. 2. Aph. 19. & lib. 5. Aph. 31. quibus in locis ait, quod dantur morbi acuti sine febre, vt apoplexia, epilepsia, conuulsio, tetanus, & alij morbi tales, vt hidrops, venenum frigidum, qui morbi terminantur ad mortem sine febre. Ratio autem est, quia cum febris sit morbus calidus, (est enim calor pręter naturam accensus in corde) & apoplexia, sicut etiam omnes adducti morbi sit morbus frigidus, fieri nō potest, vt duo extremè contraria sint simul in vno, eodemq; subiecto, & vno, eodemq; tempore. Præterea, vita stat in calido, sed magis contraria est calori frigiditas, quàm calor calori data paritate; si igitur calor naturalis calore febrili destruitur, multò magis frigiditate destruetur. Sed quia dictum est, quod febris est calor præter naturam accensus in corde, per arterias, & venas distributus in vniuersum corpus, vt Galen. docet, obijciet aliquis, calór nostri corporis nunquam est præter naturam, nec

putre-

putrescit, sed semper est naturalis, & sicut ignis, & Sol nunquam putrescunt, vt scribit Arist. sic calor naturalis putrescere nunquam potest, nam solum augetur, aut minuitur, aut extinguitur: Item, si febris esset calor accensus in corde, semper in febre cor calidum esset, at datur febris, in qua cor est frigidum, vt Gal. docet lib. 3. de Presagitione ex Puls. cap. 2. 3. & 4. igitur febris non est calor accensus in corde. Item, si calor in febre diffunderetur per totum corpus, febris esset morbus vniuersalis, & corpus, omnesq; partes eius calidæ essent; sed febres dantur, in quibus partes aliquæ frigent, aliquæ autem calent, vt lypiria, & hepiala febris; non est ergo febris morbus vniuersalis, nec calor diffunditur ad omnes partes. Est etiam authoritas Hipp. qui lib. de natura Mulierum, & alibi quoq; dicit, quod febris non est morbus vniuersalis, nec semper calor diffunditur in vniuersum corpus. Primo argumento respondebit sciolus quidam, verum quidem esse, quod calor naturalis nunquam fit, nec est præter naturam, nec vnquam putrescit, aut corrumpitur, sed semper augetur, aut minuitur, aut extinguitur; & si augetur, aut minuitur, tamen naturalis semper est, sicut Sol, & ignis,

qui

qui putredinem non suscipiunt. Quandò autem dicitur, febris est calor præter naturam, verbum illud, *Præter naturam*, debet intelligi præter ordinem, & gradum, quem natura requirit in suis operationibus, quiquidem calor secundum ordinem, & gradum naturæ temperatus esse debet, nam si calor excedit, facit febrem, si deficit, facit putredinem; sed tàm calor excedens, quàm deficiens est naturalis, cum peccet in quantitate, aut defectu, sed non qualitate, & specie. Humiditas est illa, quæ putrescit, si calor naturalis excedit, aut deficit, nec est humiditati consonans, & proportionatus; putrescit autem humiditas non quia calor sit putridus, aut corruptus, sed quia auctus, aut diminutus est; & ideo dixit Arist. lib. 4. Met. *Putredo est corruptio natiuæ caliditatis in humido*; vbi putredo natiuæ caliditatis significat calorem humiditati non proportionatum, non autem calorem putridum, & corruptum; & alibi etiam dixit, *Senectutem, & mortem esse naturalem putredinem*, intelligens putredinem, nempè calorem naturalem diminutum, & extinctum, non autem putridum, & præter naturam. Notandum est, quod febris, & putredo differunt, & vna sine altera esse potest, cum detur febris

sine

sine putredine, & putredo sine febre; & si differunt inter se, differunt etiam illarum causæ, & remedia, licet ambæ in hoc conueniant, quod fiunt ab calore non proportionato ad materiam. Cum ergo possit esse febris sine putredine, patet, quod verbum illud, *Præter naturam*, non putredinem, sed caloris excessum significat, aliter enim omnis febris esset putrida: patet etiam, quod febris est calor naturalis auctus, sed non putridus. Plato quoq; scribit in Timęo, *Tunc est febris continua, quandò corpus languet excessu ignis*. Secundo argumento respondebit Gal. lib. superius citato de Pręsagit. ex Puls. quod cor dupliciter sumitur, aut secundum se totum, aut secundum suas partes, quæ sunt substantia ipsa, & pars solida cordis, humores, spiritus, aut alia quæuis materia in ipso corde contenta, & præcipuè in ventriculis. Si consideretur cor secundum se totum, semper cor debet primum incalescere, si autem consideretur quoad suas partes potest esse, quod vna pars cordis sit frigida, vt substantia illius, aliæ autem partes sint calidæ, & febrem efficiant; aut è contra substantia cordis sit calida, humores autem, & quælibet materia frigida; & ideò rectè dicitur, quod in omni febre sem-

N per

per cor debet esse calidum, aut in totum, aut secundum aliquas partes; sat est ad generandam febrem, quod aliqua pars cordis incalescat. Tertio argumento respondet similiter Galen. lib. 6. Epid. comm. 1. quod si calor in febre non diffunditur per vniuersum corpus, attamen sat est, quod sit in pluribus partibus, aut in nobilissimis. Respondet Auic. quod calor in febre diffunditur ad totum corpus, nisi impediatur.

38 *Omnes in feretris vellent nollent adducebantur.*

Tanti momenti erat Contagium extinguere, vt non solum omnes, & soli cutaneo morbo laborantes, & illi quidem volentes, sed nolentes etiam ad Lazzarectum in feretris adducebantur; Lazzarectum enim Pestis, & mortis domicilium ab omnibus habebatur, vniuersęq; Ciuitati horribile adeo erat, vt multi illuc ferri nõ nisi violenter patiebantur, nam, vt ait Arist. lib. 3. Eth. *Quę violenter, & inuitè fiunt, ob timorem maioris mali fiunt;* maius autem malum ægrotis illis videbatur in Lazzarecto Pestem, & mortem, quam in proprijs domibus paupertatem, & Contagium pati, vbi incurati non solum domesticos, familiares, & amicos, sed totam Ciuita-

uitatem coinquinare poterant; vnde ſicut vtilis, immo neceſſaria, ſic laudabilis valdè violentia illa erat, qua nolentes ducebantur, & nolentes curabantur, ne nolentes morerentur.

39 *Nullo autem cutaneo morbo laborantes etiam ſi quouis acuto morbo, & magna febre laborarent, non adducebantur.*

Si in cute ægrotantium nihil apparebat, ad Lazzarectum non deducebantur etiam ſi alio quouis morbo acuto, peracuto, acutiſſimo, aut quauis magna febre, vt emitritheo, febreq́; maligna laborarent, nam omnes, & ſoli morbi cutanei contagioſi, nullus autem alius morbus non cutaneus contagioſus putabatur, & hoc quia plurimi eorum, qui moriebantur, aliquo morbo cutaneo affecti moriebantur. Queret aliquis, cur emitritheus eſt magna febris, & difficilè ſanatur? Reſpondemus, quia emitritheus conſtat ex duobus humoribus contrarijs, nempè pituita, & bile, qui cum ſint contrarij, contraria etiam requirunt remedia; vnde Galen. lib. 1. ad Glauconem curat emitritheum dando aquam hordei cum pipere, nec aliter curari poteſt, & ideò Auic. lib. 4. f. 1. in cura emitrithei dixit, *Et quis eſt, qui curet emitritheum abſq; hoc? Et ſi natura non eſt fortis ad*

N 2 diſcer-

discernendum illa contraria in medicamentis, tunc non prodest curatio quomodocumq; fiat. Et lib. 1. f. 4. dixit. *Ex rebus, in quarum medicatione est subtile ingenium adhibendium, est, cum in vna egritudine coniunguntur duo, quæ fieri debent, contraria, quia oportet, verbi gratia, vt ægritudo infrigidetur, & eius causa calefiat, sicut febris requirit infrigidationem, & oppilatio, quæ est causa febris, requirit calefactionem, aut è conuerso: & similiter, si ægritudo indiget, vt calefiat, & accidens eius, vt infrigidetur.* Et paulò inferius addit, *Amplius scire debes, quod non omnis repletio, neq; omnis complexionis malitia suo medicatur contrario ex euacuatione, & oppositione, immo multoties sufficit multa regiminis bonitas in repletione, & malitia complexionis.* Gal. quoq; lib. 10. Met. med. dixit, *Cum vnus in corpore affectus est, eius curationem inuenire, si non ratione, certè experientia haud difficile est; vbi verò connexi duo, tresue sunt, præsertim qui maximè contraria inter se auxilia requirunt, fieri nequit, vt experientia quod agendum sit, inueniatur, immò nec facilè ratione; siquidem & substantiam cuiusq; affectus ad vnguem nouisse oportet, & propriam curationis indicationem à quoq; affectu cepisse: Et preterea quem primum omnium, aut magis; quem rursum minus, aut secundo, aut tertio loco curare*

conue-

conueniat. Libro etiam 11. Met. med. idem confirmat Gal. & lib. 6. de Tuen. Sanit. similiter ait, *Porrò difficilis connexio est, quoties vel in calidum ventrem frigidam, & pituitosa sanies ex capite defluat, vel in frigidum calida*. Emitritheus igitur est magna febris, difficileq; curatur, quia duobus humoribus contrarijs cōponitur, contrariaq; remedia requirit, quę potius conseruare, & augere, quàm minuere, & sanare morbum possunt. At ille obijciet, si emitritheus magna febris est, & difficile curatur, quia ex humoribus contrarijs constat, & si morbi magni sunt, & difficile curantur, quorum causæ, vel symptomata morbis contraria sunt, ergo febris hectica erit morbus paruus, & facile curabitur, cum illa sit morbus similaris, & simplex, nec contrarietatem cum suis causis, humoribus, symptomatibus vllam habeat; & tamen illa est incurabilis, nedum difficillimæ curationis. Respondemus, quod febris hectica est morbus similaris, & simplex, nec vlla reperitur in illa contrarietas; ipsa tamen est incurabilis, quia non habet causam, qua remota morbus etiam remoueri possit, sicut accidit in febre putrida, quę causam habet, qua remota, etiam febris remouetur, & ideò dixit Auic.

lib. 4.

lib.4.f.1. *Curatio febris hecticæ differt à curatione febris putridæ, curatio enim hecticæ est contenta super contrarietatem ægritudinis, sed curatio febris putridæ non est contenta super contrarietatem ægritudinis tantum, immo est super ipsam, & super abscissionem causæ eius.* Est etiam incurabilis febris hectica, quia stabilita, & in habitu est, habitus autem non potest separari ab eo, cuius est habitus, aliter non esset habitus, vt alias diximus. Febris autem putrida, & emitritheus causam habet licet contrariam, quæ remoueri potest, nec est in habitu, & ideo sanari potest licet difficilè ob contrarietatem illam; itaut emitritheus in comparatione ad alias febres putridas, & causam habentes difficilis est curationis, sed in comparatione ad febrem hecticam facilis est curationis. Notandum est, quod febris hectica est morbus similaris, simplex, semper æqualis, sine dolore, & calore, quia est morbus sine sua causa, qua adempta remansit sola febris, quæ non est amplius coniuncta cum sua causa; & hinc est, quod febris hectica est vna sola, nec amplius redit, sicut redeunt febres putridæ, quæ suam causam coniunctam habent, quæ illas iterum generat; est enim tunc febris, & sua causa, quæ illam iterum parit, & illa ite-

rum

rum redit. Idem dici debet de febre ephemera, quæ vna sola, & simplex est, nec amplius redit, cum causam non habeat, & morbus cum sua causa finiatur, vnde non redit amplius, sicut rediret, si causa illius post febrem remansisset, vt Galen. docet lib. 10. Met. med. cap. 1. Cum autem febris hecticta sit morbus simplex, semper ęqualis, sine dolore, & calore, sequitur, quod in illa non est agens, & patiens distinctũ, vt in febre putrida, nam in hectica agens, & patiens sunt vnum, & idem subiecto, loco, & tempore; vnde cum nihil agat in se ipsum, ideo in illa non fit passio, nec ægrotus dolorem, aut calorem sentit; passio enim, & dolor fit, quandò agens, & patiens sunt distincta, vt est in febre putrida, in qua calor febrilis est prius in spiritibus, & humoribus, & postea in partibus solidis, quæ partes solidæ recipiunt calorem illum ab humoribus, & spiritibus, vnde fit dolor, & passio; at in febre hectica non fit illa caloris receptio, quia calor ille in partibus solidis immobilis semper manet; & sic non fit dolor, neq; passio, aliter idem esset motor, & mobile; agens, & patiens; idem ageret in se ipsum, & vnum esset duo, quod est præter naturam, sicut scribit Gal. lib. de inęquali Intem-

perie,

perie, & lib. 2. de causis Symptomatum, Auer. lib. 3. Collig. & Arist. lib. 2. de Anima, vbi ait, *Tactus non sentit qualitates, quæ sunt in ipso, quia idem est agens, & patiens.* Iterum quæret, cur hectica febre laborantes incalescunt à cibo, putrida laborantes non incalescunt à cibo? Respondemus, omnia corpora incalescunt à cibo, siue sint sana, siue febre hectica, siue putrida, siue alio quouis morbo laborent, diuersè tamen, & secundum magis, & minus, nam in febre hectica calor ob maximam siccitatem est valde intensus, & si humiditas, quæ est caloris pabulum, à cibo, & potu illi superueniat, cum calor illa humiditate valdè indigeat, fit magna ebullitio, sicut apparet in calce, si aqua illi superaddatur, tunc enim fit summa, intensaq; caloris operatio; sed in febre putrida, alijsq; morbis non tanta siccitas adest, sicuti etiam nec in sanis corporibus, & ideo nec tanta ebullitio, tantaq; caloris actio, immò potius ab humiditate multa calor corporis debilitatur. Igitur hectici magis incalescunt à cibo, quàm febre putrida laborantes, & non quod febre putrida laborantes à cibo non incalescant. Respondemus etiam, quod in hectica febre calor fit ingens solum à cibo, & non aliter, nec alio mo-

do,

do, & tempore, cum febris illa ſit ſemper ęqualis; at in febre putrida corpus non ſolum incaleſcit à cibo, ſed etiam aliàs, alio modo, alijs cauſis, alioq; tempore; vnde, quia hecticus ſolum à cibo, nulla autem alia cauſa, nullo alio modo, nullo alio tempore incaleſcit, ſolus à cibo incaleſcere dicitur. Notandum eſt, quod cibi, & potus duplex eſt pars humida, illa quidem torida, ſubtilis, & tenuis, quæ citò, & facillimè diffunditur per corpus, cum vnius, aut duarum, aut ad plus trium horarum ſpacio diffundatur, digeraturq; & tunc corpus incaleſcit: iſta autem craſſa, quæ diſtribui per corpus non poteſt, niſi prius in ventriculo concoquatur, poſtea in hepate ſanguificetur, & tandem nutrimentum, & cambium corporis fiat; quę quidem operatio effici non poteſt niſi ſpacio 13. horarum, vt nonnulli aſſerunt, aut 18. horarum, vt alij volunt. Quando dicitur, quod hecticus incaleſcit à cibo, intelligi debet de parte illa ſubtili, & rorida, ſicut intelligit Gal. & omnes Medici, dum dicunt, quod ſolus hecticus incaleſcit à cibo, non autem de parte illa craſſa, quam intelligit Auerr. contra Galen. & ſectatores illius. Iterum quæret, cur febris hectica nunquam componitur, miſceturq; cum

alia febre hectica, ſicut aliquando miſcetur, vniturq; cum omnibus alijs febribus? An, quia febris hectica eſt in habitu, habitus autem vnus ſolus eſt, nec poſſunt eſſe ſimul habitus duo, aliter vnum eſſet duo in eodem tempore, quod naturæ repugnat. Iterum quæret, ſi in omnibus febribus partes ſolidæ incaleſcunt, & ſunt febris ſubiectum, cur non omnis febris appellatur hectica, ſed vna hectica, alia putrida, aut alia diaria? Reſpondemus, quod in omnibus febribus calor præter naturam eſt in partibus ſolidis, & quod partes ſolidæ ſunt febris ſubiectum, non ſpiritus, & humores; ſed quia in febre hectica calor præter naturam eſt in partibus ſolidis in habitu; in alijs autem febribus calor præter naturam eſt in partibus ſolidis in actu, & non in habitu, ideò illa ſola febris dicitur hectica, aliæ autem febres dicuntur, aut putridæ, aut diariæ. Notandum eſt, quod ſemper ſubiectum febris ſunt partes ſolidæ, non autem ſpiritus, & humores, & ratio eſt, quia illius eſt morbus, quod viuit, & actionem habet, quæ actio lęditur à morbo, cum de eſſentia morbi ſit, vt lædatur actio, aliter non eſſet morbus; at partes ſolidæ viuunt, & actionem habent; ſpiritus autem, & humores non

viuunt,

viuunt, nullamq; habent actionem, igitur solidæ partes ægrotát, quia ipsarum lęditur actio; spiritus, & humores ægrotarę non possunt, cum non viuant, nullamq; edant actionem, sunt tamen instrumentum actionis, quo vtitur facultas in suis operationibus; & ideo solidę partes ægrotant, in febribus incalescunt, alterantur, dolorem, molestiamq; persenciunt; itaut spiritus, & humores sunt potius causa morbi, quam morbi subiectum. Et si quis dicat, spiritus, & humores non sunt verum, proximum, propriumq; febris subiectum, sicut sunt partes solidæ, at sunt subiectum saltem remotum, & impropriè dictum, cum etiam ipsi concurrant ad recipiendam febrem; & si non sunt totum subiectum, sunt tamen aliqua pars subiecti, nam & ipsi incalescunt vna cum partibus solidis ob magnam vnionem, & vicinitatem ipsorum, itaut vna parte excalefacta omnes aliæ incalescunt, nempè totum corpus, quod est verum febris subiectum; nos illi assentiemur. Et si iterum dicat, Galen. Auicen. & omnes Medici volunt tres esse febrium differentias, hecticam, putridam, diariam; hecticam residere in partibus solidis, putridam in in humoribus, diariam in spiritibus, ergo hu-

mores, & ſpiritus ſunt febris ſubiectum: Reſpondemus, quod Gal. cum alijs Medicis intendit diſtinguere, & declarare differentiam febrium ſumptas ab materia, in qua reſidet febris, quę materia triplex eſt, ſpiritus, humores, & partes ſolidæ; ſed ſicut ſunt diuerſæ materiæ inter ſe, ſic etiam variè, & diuersè agunt, & patiuntur ad inuicem, diuerſaſq; febrium ſpecies faciunt, quæ diſtingui debebant declarationis gratia; & non quod vnaquęq; materia habeat ſuam febrem propriam, & diſtinctam ab alia, itaut tunc aliæ materiæ non habeant febrem, nec incaleſcant, ideſt, vt febricitent ſpiritus, non autem humores; aut febricitent humores, non autem ſpiritus; aut ſpiritus, & humores, non autem partes ſolidę; aut partes ſolidę, non autem humores, & ſpiritus, nam totum corpus febricitat etiam in diaria febre, licet vna materia febris magis, aut minus; citius, aut tardius incaleſcat, quam alia, vt ſcribit Gal. lib. 1. de diff. feb. cap. 1. Item quæret, cur febres ſitim faciunt, & non famem? An, quia ſitis fit ab intemperie, aut humore calido; fames autem ab intemperie, aut humore frigido, vt conſtat ex fame canina, & vaccina, & ex eo, quod ſtomaci frigidi famelici ſunt; cum itaq; febris fa-

ciat ſitim, ergo famem efficere non poteſt, cum vna, & eadem cauſa contrarios effectus producere nequeat; contrariarum enim cauſarum contrarij etiam ſunt effectus.

40 *Vbi licet curati, omnes tamen ferè moriebantur.*

Medicina eſt omnium artium nobiliſſima, licet propter ignorantiam Medicorum, & vulgi ruditatem, qui tales pro Medicis iudicat, & habet, ſit facta omnium viliſſima, ſicut ſcribit Hipp. in lib. de Lege. Medicina eſt etiam omnium artium difficillima, & (quod magis refert) omnium periculoſiſſima, & hoc ob dignitatem, & præſtantiam ſui ſubiecti, quod eſt homo ipſe. Non enim ſordidi alicuius opificij, ſed humani corporis omnium prȩſtantiſſimi, maximeq́; Diuini operis cura Medico demandata eſt, quam curam non ſolum præſtare, aut ſuſceptam aſſequi, ſed etiam aggredi quam arduum, & operoſum ſit, rei ipſius magnitudo teſtatur; nam præter accuratam infinitarum penè diſciplinarum cognitionem; prȩter abſolutam ſingularum Medicinæ partium eruditionem; præter iudicium incredibile, ingenijq́; ſolertiam longo etiam vſu, diuturna experientia, eximiaq; probitate ſummopere præditus eſſe debet: quæ quidem

omnia

omnia vnusquisq; Medicus potius desiderare, quam consequi potest; & etiam si consequeretur, morbis tamen occultis, & ab tota substantia, sanandis non sufficeret, cum vnus Æsculapius vix illis satis esset; ratio autem huius est, quia morbis occultis, & à tota substantia conueniunt etiam remedia occulta, & à tota substantia, vt omnes Medici fatentur. Tales quidem erant morbi illi contagiosi, vnde remedia occulta, & specifica requirebant. Talia remedia componere, & adinuenire Medico non est possibile, cum superent intellectum hominis, & sint cognitu impossibilia, vt ait Auerr. Et licet ista remedia specifica per experientiam aliquando cognita fuerint, non idcirco in morbis istis vtilia, & conuenientia esse poterant, quia morbi occulti, & à tota substantia differunt inter se, nec omnes sunt eiusdem speciei, vnde quod iuuat, & conuenit vni, non iuuat, nec conuenit alij, *Nam experientia est cognitio plurium singularum similium sæpe memoria repetitorum, plures enim vnius rei memoriæ vnius experientiæ facultatem efficiunt*, vt docet Arist. lib. 1. Metaph. & lib. 1. Reth. similiter dixit, *Vsitata tantum genera morborum custodiuntur, non noua, quę repente aliquando sentiuntur, & ingruunt*. Nihil igitur

miran-

mirandum, si ęgroti fere omnes licet Theriaca, sanguinis missione, alijsq́; remedijs, tùm rationabilibus, tùm inrationabilibus diligenter curati moriebantur. Dubitari potest, vtrum Theriaca sit medicamentum rationabile: Respondet Auic. quod non est rationabile, cum illius cognitio, & scientia ab hominibus haberi non possit, & ait, *Ignoramus causam, quare ista proportio, quæ est inter virtutes Medicinarum simplicium, & ponderis ipsarum necessitat istam dispositionem, vel præparationem ad suscipiendam virtutem, seu proprietatem Theriacæ, sicut ignoramus in cęteris similibus, quæ non artificialiter, sed naturaliter componuntur; & non est possibile, vt loquamur de ipsa, & de proportione eius ad suas operationes sermone manifesto. Et si quis dicat, quod scit causam facientem illa pondera facere illam proprietatem, tunc dicet mendacium in eo, sicut si dicet aliquis se habere scientiam ponderum ipsorum elementorum in ęquis, in homine, & in alijs mixtis. Sapientes autem speculantes præcise determinant, quod cognitio, & compositio istarum Medicinarum processit ab inspiratione, & prouidentia Diuina, aut ab re inspirationi simili: Etenim deductio rationis non pertingit efficaciam compositionis ipsarum; & reuelatio, & Diuina prouidentia creauit homines ad illam sic faciendam;*

& ope-

& opera Theriacæ procedunt ex nobiliori proprietate data illi ab extrinſeco; & eius principium eſt ab extrinſeco Et hinc eſt, quod deſcriptio Theriacæ melior eſt illa, quæ deſcripta eſt ab Andromacho. Et nixi ſunt plures Medicorum, ſicut Galen. & alij, vt adderent, & minuerent in ea, non propter neceſſitatem, neq; propter aliquid forte vocans illos ad hoc, ſed quærentes, vt rememorarentur, & vt remaneret ab eis in ipſa veſtigium, ſicut remanſit Andromacho. Et ideò conſilium meum eſt, vt non remoueatur aliquid, fortaſſe enim illa complexio cum illo pondere eſt exigens illud, cuius iuuamentum inuenit experimentum, quod quando remouetur à ſuo pondere, non conſequitur illam proprietatem. Hæc ſcribit ſparſim Auic. lib. 5. tract. 1. & lib. de Medicinis cord. tract. 2. quæ quidem omnia non ſolum de Theriaca, ſed etiam de multis alijs Alexipharmacis, medicamentiſq; compoſitis intelligenda veniunt. Dubitari etiam poteſt, vtrum ſanguinis miſſio ſit remedium rationabile: Equidem videtur, quod non, nam priſcis temporibus ſanguinis miſſio non erat in vſu, dicebat enim antiquitas, vt Celſus ait, *Corpora ægrota non poſſunt tolerare illa remedia, quæ corpora ſana vix tolerare poſſent*, & hoc, quia ſanguinis miſſio eſt omnium virium ſummopere reſolutiua,

tiua, cum ſanguis ſit filius naturæ, & ſit tanquam filius vnicus matris ſuæ, illiq́; valdè dilectus, & ſine eo vita ſtare non poſſit. Item, ſanguinis miſſio nunquam conuenit, nam damni multum, vtilitatis autem parum, & illud etiam fortuitò ſecum affert; ipſa enim non conuenit in aere calido, nam ambientis calor è corpore euocat ſpiritus, vireſq́; reſoluit. Non in aere frigido, nam corpus à frigido aere nimis refrigeratum non indiget, vt ſanguinis miſſione denuò refrigeretur, natiuus enim calor ad priſtinum ſtatum redire amplius non poſſet. Non in corpore bilioſo, nam ſanguis eſt frenum bilis, & ſi euacuatur, timor eſt, ne bilis nimis incaleſcat, & efferueſcat euacuato ſanguine contemperante. Non in pituitoſo, nam euacuato ſanguine contemperante frigiditatem pituitæ timor eſt, ne corpus ad nimiam pituitæ quantitatem, nimiamq́; refrigerationem perducatur. Non in quauis intemperie, nam intemperies non euacuantur. Non in pueris, quia venas habent anguſtas, quæ ſanguinis parum continent, corpus eſt molle, rarum, tranſpirabile, nulla egent ſanguinis euacuatione cum ſint in corporis augumento, magnaq́; fiat ſanguinis conſumptio, & ideò pueri ſanguinis

fluxu ex naribus fere nunquam laborant. Non in senibus, quia sanguine, & viribus carent. Non in corpore pingui, & obeso, nam venas habent angustas, quæ sanguinis parum amplectuntur. Non in gracili, quia exiguum sanguinis habet, est enim gracile, quia debita sanguinis copia, debitoq; alimento destitutum gracile, & extenuatum euadit. Non vbi sit obstructio, non vbi adstrictio, non vbi putredo, nam sanguinis emissio nec exobstruit, nec poros aperit, nec purificat, vt Galen. docet. Non in vigilijs, non in doloribus, alijsq; symptomatibus vires debilitantibus, ne maxima fiat virium prosternatio, vt Galen. ait. Non in pauperibus, nam imbecilli sunt, & prauis humoribus scatent. Non in diuitibus, nam ob incontinentiam cacochimia, & copia superfluitatum abundant. Non in timidis, nam vt plurimum in syncopem incidunt. Non in cacochimia, aut cachexia, nam tunc sanguis, & vires absunt. Non si sanguis sit plus iusto ruffus, niger, nimis serosus, acris, venam dissectam interfluendum vellicans, & mordens, nam tunc cacochimia adest, nec mittendus est sanguis, vt Galen. scribit lib. de Succ. Bonit. & Vitio cap. 1. & lib. 1. ad Glauconem cap. 11.

& alijs

& alijs in locis: Non in corpore incontinenti, ebrioſo, & gulæ dedito, nam ob victus intemperantiam crudorum humorum copiam celeriter coaceruat, vt ſcribit Galen. lib. de Curandi rat. per ſang. miſſ. cap. 7. Non in corpore laborioſo ob magnam ſanguinis, & virium conſumptionem. Non in ocioſo, cum ſuperfluitates, & cruditates in illo generentur, vnde cacochimia. Non in deſtillatione, ſeu catarrho, nam ſanguinis miſſio refrigerat totum corpus, maximè autem caput, vnde augetur cauſa, & materia deſtillationis. Item deſtillatio de ſe eſt fluxus humorum, cum ſit delapſus excrementorum cerebri in partes ſubiectas, & fiat cum motu; at ſanguinis miſſio ratione vacui eſt cauſa motus, & fluxus humorum, quare, aut catarrhum generat, aut genitum auget. Non in febribus, nam febris remedium ſemper eſt potus aquæ frigidæ, vt Gal. ait, nec febris vlla, vt febris eſt, indicat ſanguinis miſſionem, ſiue ſit putrida, ſiue non putrida, ſiue continua, ſiue intermittens, quia vt febris eſt licet continua indicat refrigerationem; vt putrida eſt indicat purificationem. Non in febre intermittenti, nam ex intermittenti fit continua deductis, tractiſq; ab circumferentiam ad

centrum, & ab extra ad intra venas humoribus febrem efficientibus. Non in febre maligna, & pestilenti ob magnam virium imbecillitatem, vnde Gal. lib. de Succ. Bon. & Vitio magnopere laudat Medicos illos, qui in febre maligna non audebant mittere sanguinem, licet esset principium morbi. Item, nihil magis generat febrem, nihil magis genitam auget, nihil magis febrem facit malignam, quàm ipsa sanguinis missio, cum tollat symmetriam, & proportionem calidi, & humidi, omniumq; corporis humorum, sublata autem illa proportione necessariò oritur putredo, & febris, & quo plus mittitur sanguinis, eo plus augetur putredo, vnde febris euadit maligna, quæ in excessu putredinis solum ab alijs febribus differt. Auicen. lib. 1. f. 4. & lib. 4. f. 1. & Auerr. lib. 3. Collig. & Galen. lib. 7. Aph. 37. inter causas generantes febrem sanguinis missionem enumerant, nam calore interno imminuto, viribusq; factis imbecillioribus putredo generatur, & generata augetur calore non concoquente, gubernare; errataq; resarcire non potente, improportionato ad suam materiam iam existente: & ideo Auicen. lib. 4. f. 1. dixit, *Consilium meum in phlebotomia est, vt dimittatur quan-*

tum possibile est. Et si quis diceret, si febris, vt febris est, indicat corporis refrigerationem, igitur sanguinis missio febribus couueniet, nam illa corpus refrigerat, vt notum est. Respondetur, quod hoc esset verum, si sanguinis missio corpus refrigeraret per se, vt est potus aquæ frigidæ; at refrigerat per accidens euacuata materia calida; & ideo non semper, sed aliquando refrigerat, vt notat Galen. lib. 10. Met. med. cap. 10. & ratio est, quia quod fit per accidens, fit ab causa indeterminata, contingens est, & potest aliter se habere. Item, sicut sanguinis missio aliquando iuuat per accidens refrigerando, sic vt plurimum per se nocet euacuando, cum febris de se non indicet euacuationem. Item, febris, & sua causa, maximè autem efficiens, vt plurimum pugnant, & dissentiunt, & vtraq; suam habet indicationem, & medelam, nec idem potest vtriusq; esse remedium, immò quod iuuat febri, nocet causæ, & quod iuuat causæ, nocet febri, sicut Gal. docet lib. 10. Met. med. cap. 1. & lib. 11. cap. 2. & lib. 9. cap. 5. & 6. Igitur sanguinis missio non est adhibenda, nam febrem solam refrigerando respicit, causam autem negligit. Cum autem febris tolli non possit, nisi tollatur prius sua causa, prima;

maq;

maq; indicatio ſemper ſumatur à cauſa, certè febris miſſione ſanguinis non curabitur neglecta cauſa, quæ remedium à febre diuerſum requirit; & hinc eſt, quod ſicuti ſanguinis miſſio refrigerando febri parum prodeſt, ſic cauſæ multum obeſt; immo febrem, & cauſam auget. Item, in febre iam genita calor igneus ſemper primò reſidet in corde, & inde per arterias, & venas diffunditur in vniuerſum corpus, itaut totum corpus recipit calorem à corde, & non cor à toto corpore; vnde fit, quod refrigerato per ſanguinis miſſionem corpore breui corpus iterum recaleſcit calorem extraneum aſſiduè ab corde recipiens: fruſtra igitur mittitur ſanguis in febribus ad refrigerandum corpus. Item, ſanguinis miſſio debet refrigerare calorem extraneum, non autem calorem naturalem, qui reſidet in ſanguine, & ſpiritibus, quo refrigerato fit putredo, & febris maior; hoc autem accidit in miſſione ſanguinis, nam illa calorem natiuum refrigerat, qui quidem eſt idem ſubiecto cum calore extraneo; itaut ſi febris requirit remedium frigidum, non tamen requirit tale remedium frigidum, nam etiam mandragora, oppium, & ſimilia febris eſſent remedium cum ſint frigida. Et ſi quis diceret, in omnibus

con-

conuenit sanguinis missio authoritate Galen, qui scribit lib. 11. Met. med. cap. 15. *Saluberrimum igitur, vt prædiximus, est in febribus venam incidere, non continentibus modo, verum etiam alijs omnibus, quas putrescens humor concitat, vbi præsertim nec ætas, nec vires prohibent; leuata namq; quæ corpus nostrum regit natura, exonerataq; eo, quo veluti sarcina præmitur, haud ægre quod reliquum est, vincet. Itaq; proprij muneris non oblita, & concoquet quod concoqui est habile, & excernet, quod potest excerni:* Respondetur, quod Galen. missionem sanguinis in febribus laudat, quandò sanguinis etiam adest plenitudo, & quod ratione plenitudinis, non autem ratione febris illam commendat; nam plenitudo sanguinis, & febris simul coniungi possunt, quarum illa per se missionem sanguinis semper indicat, ista autem de se nunquam illam requirit; vnde dubium esse posset, an febris missionem sanguinis in plenitudine impediret; ideò Galen. ait, si plenitudo adsit, & ætas, & vires non prohibeant, saluberrimum est in febribus sanguinem mittere, nam febris nunquam impedit. Quod autem Galen. plenitudinis gratia solum euacuationem sanguinis concedat, docent manifestè verba illius, dum ait, *Vt prædiximus,*

Prę-

Prędixerat enim, quod quando adest sanguinis plenitudo, semper sanguis est mittendus. Docent etiam hoc verba illius, dum ait, *Leuata, & exonerata veluti sarcina*, quibus lucidissimè declarat, plenitudinem, & quantitatem sanguinis; nam si natura leuatur, ergo pondere grauabatur, & si exoneratur, ergo onere opprimebatur, & si sanguis erat illi veluti sarcina, ergo sanguis erat illi pondus, ideò sanguine misso illa leuatur, exoneraturq;. Et si iterum diceret, si sanguinis missio in plenitudine conuenit, igitur aliquando conuenit: Respondetur; quod neq; in plenitudine sanguis est mittendus, nam sanguinis mittendi quantitas non potest sciri à Medico, sicut etiam nullius alterius remedij quãtitas ab illo sciri potest, & hoc quia nec morbi quantitas ab ipso cognosci potest, cum vacuationis mensuram coniectura consequi sit quid difficillimum, siue plenitudinis, siue reuulsionis gratia illa fiat; nam si Medicus diminute euacuat, nihil, aut parum iuuat; si mediocritatem excedit, maximum damnum affert, cum sanguinis missio modum excedens non differat ab ipsa cęde. Difficillimum etiam est cognoscere quibus corporibus euacuatio illa conferat, & sectionis etiam tempus,

pus,

pus, occasioq; non sine magno negotio reperitur. Et hinc est, quod multi Medici antiquiores nunquam venam secabant, sed loco illius alijs auxilijs euacuatorijs vtebantur; itaut si sanguinis missio est remedium rationabile, & conuenit saltem in plenitudine, non idcirco rationabilis est rectus illius vsus; & si quandò iuuat, hoc fortuitò accidit, & ideo non conuenit. Et si iterum dicet, Medicus imitatur naturam, at natura sanguinem mittit, & morbos multos sanguinis euacuatione sanat, vt per nares, per hemorroidas venas, & per vterum. Item, datur sanguinis plenitudo, ergo necessariò dari debet etiam illius euacuatio, cum suis contrarijs curentur contraria. Item, est authoritas Hipp. Arist. Gal. Auic. Auerr. & omnium Medicorum, qui omnes sanguinis missionem confitentur, & profitentur. Item, est experimentum patens omnibus hominibus, quod vtilitatem illius demonstrat, multi enim quotidie sanguinis missione ab morbis liberantur, & febres multæ in ipsa missione sanguinis iugulantur. Respondetur, Medicus imitatur naturam inquantum potest; natura autem sapientissima in suis operationibus errare non potest, at Medicus errare potest, sicuti sępissimè

errat, & ratio est, quia Medicus singularia non cognoscit, natura verò singularia cognoscit, & ideo, iudicium Medici difficillimum est, & recta operatio ferè impossibilis. Si necessaria est sanguinis missio, contingens est rectus illius vsus. Si omnes Medici missionem sanguinis probant, non idcirco rectum eius vsum docent. Si experimentum vtilitatem ostendit, illa est fortuita, non autem rationabilis vtilitas. Et certè sanguinis missionis rectus vsus est adeò cognitu difficilis, vt in secanda vena rectè illud quidem accidit, quod in litibus iudicandis, ferendisq; sententijs accidere solet, in quibus vt plurimum maior est difficultas in facto cognoscendo, quam in iure ferendo, &, vt Fernelius ait, *Obscurior est facti, quam iuris quęstio;* vnde Crysippus, Erasistratus, & multi alij non omni crimine, sed potiùs quauis venia digni videntur, si fallaciam, pericula, & damna sanguinis missionis cognoscentes, humani generis beneficio illam penitus prohibuerunt. Multa alia pericula, & damna in medium adduci solent, quę ab sanguinis missione proueniunt, sed ne prolixiores simus, silentio illa committimus, & satis sint, quæ fuerunt adducta ad probandam opinionem dicentium,

quod

quod ſanguinis miſſio non eſt remedium rationabile, ſed fortuitum; & eſt rationabile in mente, non autem in operatione; quamquidem opinionem valdè negligunt Medici noſtrates, qui tàm audacter, tàm ſæpè, tàm copioſè ſanguinem mittunt; ſed ipſi viderint.

41 *In Ciuitate autem quatuor Medicos, totidemq; Chyrurgos elegerunt.*

Florentia Ciuitas magna iàm iàm priſcis temporibus in partes ſex diuiſa fuit, quas Sexteria appellabant. Poſtea tamen diuiſa fuit in partes quatuor, quę etiam hodiè Quarteria nominantur. Sanitatis Præſides, vt ordinem ſeruarent, Medicos quatuor, Chyrurgos etiam quatuor elegerunt, & vnicuiq; parti, ſiue Quarterio Medicum vnum, & Chyrurgum vnum diſtribuerunt; opera autem, quam præſtare illi debebant, inferius patebit.

42 *Qui in proprijs domibus omni authoritate vnumquemq; ægrotum viſentes, ſi cutaneo ſolum aliquo affectu laborantem cernerent, Magiſtratui ſtatim denuntiarent; quouis autem alio morbo affectum, nullum denuntiarent.*

Satis, ſuperq; dictum fuit ſuperius, quinam ægroti, & quo morbo affecti ad Lazzarectum ducebantur. Nunc Hiſtoricus deſcribit ordi-

nem, & officium, quibus tùm Medici, tùm Chyrurgi ſuam operam dabant, quæ quidem omnia ita clara ſunt, vt nulla alia explicatione indigeant.

43 *Omnibus alijs Medicis, & Chyrurgis impoſuerunt, vt nullum talem ægrotum niſi ſemel adirent, antequam ille Magiſtratui denuntiatus fuiſſet.*

Adeò horribile erat Lazzarectum in tota Ciuitate, vt omnes ægrotantes potius extra illud certa morte mori, quam intra illud dubiam vitam viuere malebant; & ideo ne in manus Medici, & Chyrurgi inciderent, nec ab illis denunciarentur, nec illorum iudicio ad Lazzarectum ducerentur, omni ſimulatione, mendacio, periurio morbum occultabant. Aliqui etiam, vt Lazzarectum euitarent, Medicum quendam alium occultè vocantes ab illo occultè curabantur. Sanitatis autem Pręſides hęc omnia ſcientes omnibus alijs Medicis, & Chyrurgis impoſuerunt, vt nullum ægrotum adirent niſi ſemel, qui Magiſtratui denuntiatus non fuiſſet: Præceptum autem erat penale, tùm Medicis, tùm Chyrurgis, tùm ægrotis.

44 *Vnuſquiſq; pater familias ſuos familiares, & domeſticos ægrotos denuntiare ſimiliter tenebatur.*

Quoniam aliqui ægroti, vt Lazzarectum

fuge-

fugerent, Medicum nullum accersibant, sed morbum occultantes proprijs in domibus incurati manebant, & ibi etiam moriebantur; immò (quod peius est) neq; Parochum, neq; Sacerdotem alium salutis animæ gratia vocabant; vnde non solum sine Medicis, humanisq; remedijs, sed etiam sine sanctissimis Sacramētis, Diuinisq; auxilijs moriebantur; ideò Sanitatis Præsides optimè, & piè instituerunt, vt vnusquisq; pater familias omnes suos ægrotos Magistratui denuntiaret; & pęna grauis similiter illis imposita erat.

45 *Ægroti omnes denuntiati subitò ad Lazzarectum in feretris efferebantur.*

Verba ista sunt adeo per se clara, vt siquis illa magis lucidaret, illa potiùs obscuraret.

46 *Mortui denuntiati in agro vno intra Vrbem, non denuntiati in duobus extra Vrbem sepeliebantur.*

Semper fuit vsus sepeliendi corpora mortuorum, licet illius semper varij fuerint ritus. Vsus quidem iste iure naturæ ductus est, nam, vt ait Arist. lib. 1. Reth. cap. 33. *Jlle honor, illaq; pietas naturali iure debetur; non enim nunc, heriq; fuit, sed viguit, vixitq; semper, nec quando cęperit esse intelligere quisquam potest.* Attamen non omnia corpora semper sepultura digna fuere;

nam

nam ſcribit Plato lib. 9. de Leg. *Si quis in tàm miſeram calamitatem inciderit, vt patrem, aut matrem, aut fratrem, aut filium spontè, atq; conſulto interfecerit, arceatur ab publicis, ſacriſq; locis, & condemnatus occidatur, & demum vltra regionis fines portatus ſecundum leges inſepultus eijciatur.* Similiter addit, *Siquis ſe ipſum interfecerit, non iudicio Ciuitatis; non triſti, & ineuitabili fortunæ caſu coactus; neq; pudore aliquo extremo compulſus, ſed ignauia, & formidoloſa animi imbecillitate ſe ipſum vi ſcelerata occiderit iniuſtè, quæ purgationes, & quæ ſepultura huic lege conueniat, Deus ipſe nouit.* Apud Athenienſes, & omnes Grçcos Peſte correptorum corpora non ſepeliebantur, ſed cremabantur. Noſtris temporibus omnia cadauera ſepulturis honorantur; & ideo Sanitatis Præſides, vt humana corpora redirent vnde diſceſſerant; & vt Terræ matri proprios filios redderent; & vt in ſinu matris iam defeſſi conquieſcerent, ritum hunc ſeruauerunt, vt mortui denuntiati in agro vno intra Vrbem, non denuntiati in agris duobus extrà Vrbem humarentur. Plato lib. 12. de Leg. hanc tulit legem, vt mortui in agris extra Vrbem ſepelirentur, & declarauit, quales agri illi eſſe deberent dicens, *Nullum in loco fęcundo, & apto ad*

cultu-

culturam sepulcrum fiat, sed ille locus corpora defunctorum recipiat, & qui ad cętera inutilis, & ad id solum commodior viuentes minimè lædat; neq; enim à viuis, neq; à mortuis Terræ matris fœcunditas impedienda est. Nemo ergo, aut viuens, aut mortuus viuum aliquem alimento priuet. Notanda autem sunt verba illa superius allata Platonis, in quibus ipse declarat tres esse species illorum, qui se ipsos interficiunt. Prima est eorum, qui iudicio Ciuitatis se ipsos interficiunt, sicut Socrati accidit, qui Atheniensium lata sententia poculum venenatum proprijs manibus accipiens, illudq́; constanter bibens perijt. Secundum est eorum, qui pudore aliquo impulsi se se voluntariæ morti tradunt, qualis fuit Lucretia nobilis Matrona Romana, quæ cum ab Sesto Tarquinio stuprata fuisset, pudicitiæ, & laudis nimis amica ferro se ipsam occidit. Qualis fuit etiam Regina Cleopatra, quam Augustus, qui Antonium vicerat, viuam capere, & viuere volebat, magnaq́; diligentia ipsam seruabat, vt tàm insignem fęminam Romæ in triumphum duceret; id Cleopatra cum persensisset, & elegisset tunc Regina potius mori, quàm priuata de se Romanis prebere spectaculum, serpente admoto mortem sibi ferre decreuit. Quo facto

tradunt Auguſtum vehementer admiratum Reginæ magnanimitatem, quæ generoſam mortem ſeruili vitæ prætulerit; ſiquidem ferunt Cleopatram inuentam fuiſſe dextera manu Regium Geſtamen in capite detinere, vt mortua quoq; ſpectantibus Regina appareret, ſicut ſcribit Gal. lib. de Theriaca ad Piſon. cap. 8. Qualis fuit etiam Cato ille Vticenſis, qui ne Cæſari ſubditus eſſet, mortem ſibi conſciuit. Tertia autem ſpecies eſt illorum, qui ignauia, & formidoloſa animi imbecillitate ſe ipſos interficiunt, quales illi ſunt, qui vltra modum melancolici ſunt, iſti enim aliquando laqueo ſe ſuſpendunt, & varijs modis ſibi vitam adimunt, quorum meminit Ariſt. ſect. 30. Probl. 1. & Plato etiam lib. 9. de Leg. Prima, & ſecunda talium hominum ſpecies apud Platonem dignę ſunt ſepultura, vt patet, immò Socrates, Lucretia nobilis Matrona Romana, Regina Cleopatra, & Cato Vticencis, ſicut & multi alij, qui voluntariæ morti ſe ſe dederunt, non ſolum ſepulcro digniſſimi habiti ſunt, ſed etiam licet viuendo mortales eſſent, moriendo tamen vitam immortalem in hoc mundo adepti ſunt, & ſepulti in hiſtorijs viuunt, vt immortales. Tertia autem ſpecies non ſolum indigna ſepul-

cro

cro Platoni visa est, sed, vt ipse ait, *Quæ purgationes, & quæ sepultura huic lege conueniat, solus Deus ipse nouit*, tanquam homines hoc sciri non possint. Sed contra Platonem dicet aliquis, si prima species sepultura dignatur, etiam tertia sepultura dignari debet, nam si in illa voluntas coacta trahitur, in ista etiam voluntas inuita rapitur; & si in illa voluntas iudicij seueritate ducitur, sic in ista morbi, & affectus seuitie impellitur; & sicut illa misericordiam, sic & ista miserationem consequi meretur. Misericordiam, & miserationem omnia illa pariunt, quę cum molestia, & dolore alicui pernitiem afferunt, & illa modum excedunt. Misericordiam etiam, & miserationem habent homines illi, qui aliorum miserias intelligendo, & illas easdem se pati posse, & illas sibi etiam accidere posse cognoscunt, maximè si iniustè illas patiãtur homines; & ideò dixit Arist. lib. 2. Reth. *Misericordia, & miseratio est dolor animi susceptus ex cogitatione grauis, & pernitiosi alicuius mali, quo quis immeritò affici videatur, quod quidem malum, aut in nos, aut in aliquem ex nostris possit incidere.* Et hinc est, quod *Felices, & infelices misericordia non mouentur, illi quidem, quia omnibus bonis se ornatos, munitosq; esse videntes nullo se malo affici pos-*

ſe credunt ; iſti autem, quia omnia extrema iam paſſi, iam deperditi, miſeriq; nihil amplius habent, quod vereantur, vt ibi Ariſt. ait. Itaq; ſi prima ſpecies illorum, qui ſe ipſos occidunt, ſepultura digna eſt apud Platonem, digna etiam tertia ſpecies iudicari debet, cum vnuſquiſq; iudicio Ciuitatis iniuſto, aut melancolico morbo excedente affectus mortem ſibi ipſi conſciſcere poſſit. Secunda etiam ſpecies nec laude, nec ſepultura digna iudicari debet, non enim in illa homines violenter, nec ſeuero Ciuitatis iudicio, nec exitioſo melancoliæ affectu mortem ſibi conſciſcunt, ſed voluntariè moriuntur ſolo pudore commoti; & ideò Lucretia Romana neq; laude, neq; ſepultura digna fuit, cum ſe ipſam ferro necauerit, quia nemini licet priuata poteſtate hominem, vel nocentem occidere, multò minus innocentem, ſicuti Lucretia erat, quæ licet ſtuprata, caſta tamen erat; vnde tantò nocentior facta eſt cum ſe occiderit, quantò innocentior in ea cauſa fuit, qua ſe occidendam iudicauit; & tantò magis ab ſua nece abſtinere debebat, quantò minus tali ſuplicio quid in ſe puniret, habebat: immò ipſe Iudas, cum ſe occidit, licèt ſceleratum, & nocentem hominem occiderit, attamen non ſolum Chri-

ſti,

sti, sed suæ mortis etiam factus est reus, cum propter suum scelus alio suo scelere se se necauit, & sic grauia duo scelera, Christum tradendo, & se ipsum occidendo, perpetrauit; sic & Lucretia scelus alienum proprio suæ mortis scelere multauit. Præterea, pudicitia est animi, non autem corporis virtus, & oppresso corpore non opprimitur animi virtus; at Lucretię animus fuit semper pudicus; cur ergò suum corpus occidit? cur se ipsam adeò innocentem, & castam sic iniustè necauit? nam si casta, cur occisa? & ideò non pudicitiæ caritas, sed pudoris infirmitas, vel potius laudis immensa cupido ferro Lucretiam morti dedit. Similiter Regina Cleopatra, & Cato Vticensis non virtute, sed inuidia, aut timore Cęsaris se ipsos interfecerunt: & quamuis Catonis Medici, vt ille sanaretur, vulnera diligenter curassent, ipse tamen Medicis absentibus, fascijs disruptis, & vulneribus adapertis vitam cum sãguine fudit. Vnde nec Lucretia, nec Cleopatra, nec Cato se ipsos interficere debuerunt, nec sepultura, nedùm laudibus digni fuerunt; & ideò dixit Arist. lib. 3. Eth. *Mori autem, vt paupertatem, vel amorem, vel molesti aliquid fugiamus fortis viri minimè est, sed potius timidi, quippè cum laboriosa*

fugere mollities ſit; neq; hanc mortem ſubſtinet quiſpiam, quia honeſtum ſit, ſed vt malum euitet, & fugiat. Nemini igitur licet ſe ipſum interficere, vt dictum eſt.

47 *Feretra tùm ægrotantium, tùm mortuorum miniſter quidam campanulam ſonans præibat.*

Quando ægroti ad Lazzarectum, aut mortui ad ſepulturam in feretris portabantur, ſemper miniſter vnus campanulam quandam paruulam ſonans pręibat, & hoc, vt viatores campanulam illam audientes fugerent, & adeò abirent, vt ab contagio, aut ęgrotorum, aut mortuorum ipſi quoq; coinquinari non poſſent: vnde campanula illa ad fugiendum contagium ſonabat.

48 *Domus omnes, in quibus talis ægrotus, aut mortuus fuiſſet, ne quis ingredi, aut egredi poßet, per viginti dies omninò clauſæ erant.*

Satis abundè fuit dictum ſuperius, quod aer eſt omnium corporum tenuiſſimus, & facillimè omnium putreſcit, maximè autem qui clauſus eſt, & in domibus quibuſdam interclusus manet, vbi ob perflatus defectum plurimum coaceruatur ſitus, vnde putridus iàm factus, ſicut inſpiratus proprium, ſic expiratus alienum corpus inficit. Similiter dictum fuit, quod ſine

con-

contactu non poteſt contrahi contagium, vel proximè, vel ad diſtans. Dictum etiam fuit, quod corpora ſimul vnita, & ſimul clauſa neceſſariò putredinem ſibi ipſis inuicem comunicant, præcipuè autem domeſtica, & familiaria, quorum maior eſt ſimilitudo, & eadem corpore diſpoſitio, cum eadem dięta vtantur; vnde cum duo fratres ſimul ęgrotare cepiſſent, & morbus illorum ſimul, & in eodem tempore ingraueſceret; & ſimul, & in eodem tempore leuaretur, Hipp. nobiliſſimus Medicus iudicauit fratres illos geminos eſſe, & ob ſimillimam valetudinis temperiem hoc factum fuiſſe; ratio autem eſt, quoniam parentes ſicuti erant corpore affecti dùm concumberent, ſic primordia conceptorum affici potuerunt, & conſecutis ex materno corpore prioribus incrementis paris, ſimiliſq; valetudinis naſcerentur, nec non in eadem domu eadem dięta vtentes corpora adeò ſimilia haberent, vt etiam ad ægrotandum, ſanandumq; vno, & eodem tempore, & eiſdem cauſis ſimiliter mouerentur. Prudentiſſimè igitur Sanitatis Præſides præceperunt, vt domus illæ, in quibus aliquis ægrotus, aut mortuus fuiſſet, per viginti dies ita clauſæ eſſent, vt nullus egredi, aut ingredi poſſet, nè

ſiquid

ſiquid fomitis in domibus illis remanſiſſet, externis etiam comunicaretur; melius enim erat, vt aliquæ familiæ extinguerentur, quàm vniuerſa Ciuitas periret. Dies erant viginti, quia dies vigeſimus eſt acutorum Morborum finis, & terminus, vt inferius dicetur. Sed quia non ſemel ſolum, ſed bis ſuperius diximus, quod vbi eſt maior corporum ſimilitudo, ibi etiam citius, & facilius contagium contrahitur, ideò fortaſsè dicet aliquis, ad contrahendum contagium requiritur non ſimilitudo, ſed contrarietas in corporibus, & ratio eſt, quia omne agens agit, vt faciat patiens ſibi ſimile, & ſine actione non poteſt fieri aſſimilatio. Item, vbi maior eſt actio, ibi etiam facilior victoria agentis contra patiens. Item, vbi maior eſt corporum contrarietas, ibi maior etiam actio, & pugna, & facilior victoria; at inter corpora contraria eſt actio maior, ergò etiam victoria facilior, & ſic facilius contrahitur contagium inter contraria, cum inter ſimilia ſit actio minor, & difficilior victoria: immò vbi non eſt contrarietas, ibi non poteſt eſſe morbus; & ideò dixit Ariſt. ſect. Probl. 1. *In æſtate, & hyeme, & poſt vtrumq; ſolſtitium facilius ægrotamus, & morimur ob maiorem contrarietatem, & vehementiam*

tem-

temporis. Hipp. quoq; lib. 2. Aph. ait, *In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, vel ætati, vel consuetudini, vel tempori morbus similis est, quàm è contra*. Itaq; si morbus est minor, & minus periculosus quandò est similis naturæ, ergò etiam minor actio, & pugna, difficilior victoria, & difficilior morbi generatio, morbus enim est minor, quia minor est victoria; & si similitudo est causa, vt morbus sit minor, est etiam causa, vt morbus difficilius generetur. Respondemus, verum quidem esse, quod semper agens agit, vt faciat sibi simile, & quod sine actione non fit assimilatio, illud tamen negamus, quod vbi maior est actio, ibi sit etiam victoria facilior, immò è contra, nam semper inter contraria quo maior est actio, & pugna, eò difficilior victoria, & quo maior est contrarietas, eò etiam pugna maior, & victoria difficilior; ratio autem est, quia quandò in patiente est pauca contrarietas, & pauca resistentia contra suum agens, tunc quidem minor est actio, victoria autem facilior; sed quandò in patiente est magna contrarietas contra suum agens, tunc maior fit pugna, sed difficilior victoria. Corpora domesticorum, & familiarium, cum sint similia; facilius ægrotant, quàm aliena, & dissimilia,

lia, nam in patiente est pauca contrarietas, & resistentia, minorq; pugna cõtra suum agens, vnde victoria facilior. Authoritas Arist. allata potius confirmat quæ diximus, nam in æstate, & hyeme, & post:vtrumq; solstitium facilius ægrotamus, & morimur, quia tunc in corporibus nostris est pauca resistentia, & pugna, contra magnam illam temporis contrarietatem, & vehementiam caloris, & frigoris, & quia tunc fit pauca pugna, ideò victoria facilis est, vnde facilius ægrotamus, & morimur. Authoritas Hipp. similiter confirmat quæ diximus, nam morbi similes naturis, ætati, tempori, & consuetudini sunt minores, minusq; periculosi ob similitudinem, quia in corpore patiente est minor contrarietas, minorq; resistentia contra suum agens, & quò maior est similitudo, eò minor contrarietas, minor pugna, victoria facilior, morbus minor, minusq; periculosus, nam sicut ob similitudinem facilius morbi generantur, sic etiam facilius sanantur, ratio autem est, quia tunc minor est lapsus, & facilior reditus ad naturalem statum; vnde non ratione contrarietatis, sed ratione similitudinis corpora similia facilius ęgrotant. Notandum est, quod quandò nos dicimus, similitudo est causa,

quod

quod corpora facilius ægrotant, nos non intelligimus veram, & propriam ſimilitudinem, ſicut quandò dicimus ouum ouo, aut album albo ſimile eſt, ſed accipimus ſimilitudinem impropriè, nempè, paucam illam contrarietatem, & pugnam, quæ eſt in patiente contra ſuum agens, quæ quidem cauſa eſt, vt minor ſit pugna, & facilior victoria. Non negamus etiam inter agens, & patiens contrarietatem aliquam, aliter nulla vnquàm fieret actio, & paſſio, nec vlla pugna, aut victoria, ſola enim contraria agunt, & patiuntur adinuicem, & vbi nulla eſt contrarietas, ibi etiam nullus eſt morbus.

48 *Tota Ciuitas timore, pauore, & formidine plena erat.*

Non ſunt ſynonima verba iſta, timor, pauor, & formido, nec culpandus eſt Hiſtoricus, quia ſynonimis fuerit vſus, nam, vt Cicero ait lib. 4. Tuſcul. quęſt. *Timor eſt metus mali appropinquantis; Pauor eſt metus mali mentem è ſuo loco mouens; Formido eſt metus mali permanens*: Hiſtoricus, vt melius, & clarius totius Ciuitatis miſeriam oſtenderet, verbis illis vſus fuit, nàm vniuerſa Ciuitas tot, tantiſq; malis verè angebatur.

49 *Unusquisq; magis Lazzarectum, & sepulturam, quàm mortem ipsam horrescebat.*

Sicut nihil est gratius, nihil desiderabilius, nihil felicius, quàm viuere, & benè viuere, sic nihil est odiosius, nihil detestabilius, nihil infelicius, quàm mori, & malè mori; & sicut nihil est dulcius, nihil familiarius, nihil humanius, quàm in proprijs monumentis, cum debitis parentationibus, decentibus funeribus, consuetis sacris, humanisq; cęrimonijs in Ecclesijs sepeliri, sic nihil est infentius, nihil rarius, nihil ferè inhumanius, quàm in agris extra Vrbem humari. Diogenes interrogatus quomodo sepeliri vellet, respondit, *Proijcite me inhumatum.* Anaxagoras etiam moriens rogatus fuit, vt diceret, vbi sepeliri vellet, dixit, *Hoc nihil refert,* sepulturam nihil curans. Quoniam autem Florentiæ nulli sunt Diogenes, nulli Anaxagoræ, sed omnes sepulturam valdè curant, ideo vniuersa Ciuitas videns quotidie (nulla habita ratione personarum) vnumquemq; ægrotum coactè ad Lazzarectum ferri, & vnumquemq; mortuum in agris illis sepeliri, existimabat duo hæc vna morte esse peiora; vnde magis Lazzarectum, & sepulturam, quàm mortem ipsam horrescebat.

50 *Inde fuit, quod Sanitatis Præsides, Lazzaretto illo vno penitus derelicto, alia duo extra Vrbem erexerunt.*

51 *Sapientis est mutare consilium in melius*, vt aiunt; Hipp. etiam sententiam hanc firmans dixit lib. 2. Aph. 14. *Mutationes laudabiles sunt, nisi in peius fiant*, nam idem est mutatio in melius, & mutatio non in peius; ratio autem est, quia omnis mutatio, aut est in melius, aut in peius, quod si non fiat in peius, ergo erit in melius, nam mutatio in sibi simile non dicitur mutatio, sed potius assimilatio, cum mutatio vera semper diuersitatem, varietatemq; significet, simile autem nunquam differt à suo simili, aliter vnum esset diuersum ab se ipso. Sanitatis Pręsides certè sapientium nomen merebantur, cum mutauerit consilium in melius, nam Lazzarecto illo vno derelicto, alia duo extra Vrbem ampla erexerunt, & rationabiliter hæc fecerunt, quia numerus ægrotantium, & contagium ipsum quotidie augebantur, vnde locus ille vnus tot ægrotis non satis esse poterat, aliter ibi contactus magnus, immediatus, assiduus corporum infectorum factus fuisset, & corporibus illis accidisset, quod fructibus, & pomis accidere dixit Homerus.

Inq; pyris pyra, ficis fici molle putrescunt.

Et alter Poeta dixit,

Vuaq; contactu liuorem ducit ab vua.

Et ideo Contagium euitatur fugiendo contactum; est enim Contagium sicut Amor, qui non vincitur nisi fuga, sicut Poeta noster dixit,

E non si vince Amor se non fuggendo.

Præterea in Lazzarecto illo vno ob putridum aerem ibi collectum ægroti omnes mortui fuissent, nam aer semper idem inclusus, fuliginosus, excrementitius, odoribus putridis plenus, ab corporibus putridis expiratus, ab ijsdem ægrotis assiduè inspiratus, continua illa eiusdem aeris putridi inspiratione, & expiratione impurior redditus, putredinem maiorem semper acquirens necessariò mortem ipsam ferre debuisset. Scribit Galen. lib. 4. de Loc. affec. & alijs locis, quod natura dedit nobis respirationem ad duo, nempè vt calor cordis refrigeraretur, & vt fuligines illius expellerentur. Scribit quoq; quod non solum dedit respirationem ad duo, sed etiam transpirationem dedit per totum corpus, vt ob aerem externum per poros, & laxitatem carnis receptum, & ob fuligines per eosdem poros expurgatas mediantibus arterijs cor ipsum refrigeraretur: Manifestum est

autem,

autem, quod in aere illo putrido non solum cor refrigeratum non fuisset, fuliginesq; suas non expulisset, immo calore illo putredinoso, & extraneo magis excalefactum, multiplicatisq; fuliginibus magis repletum fuisset, necnon putredinem maiorem acquisiuisset, contagiosus morbus maior factus fuisset, & omnibus ęgrotis mors subsecuta esset. Respirationem secundario dedit nobis natura, vt per illam spiritus vitales, animales, naturales continuò generarentur, reficerenturq;; at ex aere illo putrido non poterant generari spiritus illi nisi putridi, qui facultatibus ad suas operationes inseruire non poterant; spiritus enim sunt proprium instrumentum animæ, corporeęq; facultatis, & sicut artifex nullus sine debitis instrumentis suas edere operationes valet, sic anima, & facultates sine idoneis spiritibus rectè operari non possunt. Notandum est, quod aer inclusus putrescit, vt scribit Galen. lib. 1. de Tuen. Sanit. cap. 11. dum ait, *Aer, qui in loco cauo inclusus est, & nullum recipit perflatum, iste suffocans est, & putris, sicut est aer in aliquibus domibus clausus, in quibus ob putredinem, & perflatus defectum plurimum aceruatur situs.* Actius quoq; lib. 3. cap. 162. dicit, *Aer, qui in regione*

caua vndiq; includitur, malus, æstuosus, & strangulatorius est, qualis fortasse est aer Florentię, quę sita est ad pedes montium, ille enim montibus inclusus strangulatorius est, & ideo ferè singulis annis in illo nonnulli morte subitanea moriuntur. Quod autem citius, & facilius putrescant, quæ clausa sunt nec respiratum habent, manifestum quidem est, nam alæ maximè omnium nostri corporis partium malè olent, quia non exhalant, immobilesq; manent, vt docet Arist. in Probl. Item, gibborum halitus fętet, quia locus respirationi accomodatus conclusus est, & spiritum liberè transmittere non potest, vnde vapor, & spiritus interclusus putrescit. Item, nares aduncæ fętent ob eandem rationem; & ideo quod mouetur, & fluit, minus putret, quàm quod non mouetur, vt scribit Arist. lib. 4. Meteor. Additur, quod aer, qui expiratur ab aliquo homine, qui veneno, Peste, aut alio contagioso morbo sit affectus, potest etiam alios afficere, qui eundem aerem inspirent; vnde Hipp. lib. de natura Hominis comm. 2. tex. 4. dicit, *Tempore Pestis parum aeris inspirandum est, & ille sit peregrinus, & familiaris, & locus mutandus est*. His omnibus rationibus ducti Sanitatis Præsides Lazzarectum illud

illud vnum intra Vrbem positum dereliquerunt, & alia duo valdè magna, & ampla extra Vrbem supra Diui Miniati Montem construxerunt, quæ quidem in Monte illo satis alto posita, ventis omnibus difflata, & optimo aere referta erant. At dicet aliquis, melius, & citius contagioso morbo laborantes in Lazzarecto illo vno morantes, ibiq; simul vniti, sanati fuissent; nam sanatio non fit per contraria, vt vult Hipp. sed per similia, simile enim patitur à suo simili, simileq; à suo simili destruitur, & ideo morbus morbo curatur, dolor dolore sedatur, fluxus tollitur fluxu, flamma flammam extinguit, calor calore suffocatur, venenum veneno deletur, & sic de alijs, igitur contagium ipsum contagio etiam sanatum fuisset: Respondemus, quod sanatio semper fit à contrarijs, vt dicit Hipp. falsaq; sunt omnia adducta exempla, ratio autem est, quia si morbus morbo curatur, non vt similis, sed vt contrarius curatur, vnus enim erit calidus, alius autem frigidus, vt febris potest sanare alium morbum, sed non vnumquemq; morbum, at morbum frigidum, non calidum, vt Galen. docet lib. 6. Aph. 44. Similitudo quidem adest inter morbos illos, sed est similitudo in genere, cum vterq; sit mor-

bus,

bus, differunt tamen in ſpecie, & eſſentia, ſimilitudo autem eſſe debet in ſpecie ad hoc, vt ſimile agat in ſimile, ſimileq; à ſuo ſimili corrumpatur, quod eſt impoſſibile, aliter enim idem ageret in ſe ipſum, vt ſcribit Ariſt. lib. 1. de Ortu, & Interitu. Si dolor dolore ſedatur, hoc fit per accidens, & non per ſe, nam ſedatur ab remedio, quod cum dolore coniunctum eſt, & ideo ab remedio per ſe ſanatur, quia eſt morbo contrarium, quod ſi cum remedio illo coniunctus eſt dolor, hoc eſt per accidens, accidit enim remedio, vt cum dolore adhibeatur. Si fluxus tollitur fluxu, hoc etiam fit per accidens, nam euacuatio humorum ſua qualitate, aut quantitate peccantium eſt per ſe remedium, quod eſt contrarium plenitudini, quæ euacuationem per ſe requirit; quod ſi euacuatio eſt fluxui coniuncta, hoc eſt per accidens, non enim curatur fluxus, ſed plenitudo, cui contraria eſt euacuatio. Si flamma flammam extinguit, hoc fit ratione contrarietatis, non ſimilitudinis, nam flamma flammam extinguit, quandò vna maior eſt, altera minor, licet enim illæ duæ flammæ ſint ſimiles in ſpecie, differunt tamen in gradu, & potentia, & ſi differunt in gradu, & potentia, ergo ſunt con-

traria

trariæ inter se, nam magis, & minus habent rationem contrarij, vnde flamma flammam extinguit non vt similis, sed vt contraria. Si calor calorem suffocat, similiter fit, quandò vnus est maior, alter autem minor, tunc enim contrarij sunt, si non specie, saltem gradu, & hoc sufficit, quia magis, & minus habent rationem contrarij, sicut fit, quandò in vno, & eodem corpore, & non in eadem parte duo dolores adsunt, vnus maior, alter minor, semper enim maior minorem occupat, vt ait Hipp. lib. 2. Aph. 46. Si venenum veneno deletur, fit similiter non ratione similitudinis, sed contrarietatis, nam venena valdè differunt inter se, aliud enim est venenum Aspidis, aliud Viperæ, aliud Scorpionis, aliud calidum, aliud frigidum, aliud potentius, aliud debilius, & licet omnia venena sint genere similia, sunt tamen in specie, potentia, & gradu contraria, & quandò venenum veneno destruitur, non fit ratione similitudinis, nisi in genere, sed ratione contrarietatis, quæ contrarietas erit, aut in specie, aut potentia, aut gradu. Sed quoniam morbi contagiosi erant similes, & eiusdem speciei, & gradus, & simile conseruatur à suo simili, ideo contagium contagio conseruatum, non

T autem

autem deletum fuisset, si in vno, eodemq; Lazzarecto omnes morbo contagioso laborantes simul vniti fuissent. Rectè igitur Lazzarectum illud duplicatum, multiplicatumq; fuit.

11 *Quotidiè numerus ægrotantium, & mortuorum, & Ciuitatis horror augebantur.*

Sicut morbus mortem, sic mors horrorem adducit; & sicut morbus augetur, sic mors horrorq; augentur; augebatur quotidie morbus, & ægrotantium numerus, quia morbus de sui natura contagiosus communicatione, propagationeq; quotidie maior erat, & sic ægrotantium numerus crescebat, inde timor, horror, & fortis immaginatio generabantur, quibus vnusquisq; repletus erat; hinc morbus, & morbosi simul crescebant; ratio autem est, quia isti affectus animi corpus valdè refrigerando calorem naturalem valdè debilitant, & coctionem impediunt, vnde cruditates, & praui humores in corporibus coaceruantur, & morbi fiunt, factiq; augentur. Item, aer pluuiosus fuerat, & erat, qui putredinem generabat, & genitam augebat. Item, hyems erat summè frigida, vnde in corporibus pauperum calor naturalis nimis debilitabatur, illiq; facilius ęgrotabant, ægroti autem facilius moriebantur,

tur, nam vt ſuperius cum Ariſt. diximus, *In æſtate, & hyeme corpora facilius ægrotant, & moriuntur, quàm in alijs temporibus*. Item, magna inopia, egeſtas, & fames in pauperibus fuerant, & erant, quæ omnia vires ſummopere debilitant, morbos lethales, & exitiales pariunt, partos autem augent. Rationabiliter igitur numerus ægrotantium, mortuorumq́; , necnon Ciuitatis horror quotidie creſcebant.

52 *Nonnulli ſolo timore ægrotabant, & moriebantur.*

Quòd homines poſſint ſolo timore ægrotare, & mori, manifeſtum eſt apud omnes Philoſophos, & Medicos, nam timor eſt paſſio facultatis vitalis, vnde magnus affectus eſt; omnis enim timor ſuperfluus, & maximus facillimè ſpiritus vitales, & calorem cordis infirmum reddit, virtutem deijcit, & robur virium tollit, & ideo dixit Galen. lib. de Cognoſc. & curan. animi morbis, *Triſtitia, & mæror omnibus hominibus planè malum eſſe videtur, veluti labor in corpore*, ratio autem eſt, quia timor valdè corpus refrigerat, corpore refrigerato debilitatur calor vitalis, & naturalis, & ſpiritus vitales, naturaleſq́; reſoluuntur, vnde non fit alimenti concoctio, neq́; digeſtio, neq́; excrementorum

expulsio; inde cachexia, cacochimia, prauorum humorum congeries, morbi multi exitiales, & deniq; mors ipsa. Quòd autem non solum morbi, sed mors etiam ipsa ex timore magno nasci possit, notũ quidem est, multi enim timore magno mortui sunt, præcipuè autem timidi, & pusillanimi, quorum debilis natura sine pugna succumbit, timoreq; victa cadit antequam alius morbus adueniat, maximè autem si timor sit ipsius Pestis, quæ est omnium malorum maximum, vt Galen. ait lib. 2. de Caus. sympt. & in domu nostra id euenit, in qua solo timore contagij, & Pestis, necnon Lazzarecti horrore puer quidam hoc anno mortuus est, cuius veritatis nos testes esse possumus. Cum itaq; Florentiæ omnibus hominibus, præcipuè autem pauperibus de sui natura imbecillibus, & pusillanimis magnus fuerit timor, & horror; ideo nonnulli solo timore, & horrore ægrotabant, & moriebantur.

53 *Aliqui præ timore alexipharmacis multis vtebantur, & inde ægrotabant, & peribant.*

Inter medicinæ optimates celebris quæstio est, vtrum alexipharmaca sanis corporibus, sicut ægrotis conueniant; Gal. enim pluries dicit, quod sanis corporibus illa sunt exihbenda.

Auic.

Auicen. autem, & Auerr. in canticis asserunt quod tempore sanitatis illa non conueniunt, & qui vtitur illis, nocumentum inde incurrit. Auerr. quoq; lib. de Theriaca, & lib. 5. Collig. similiter dicit, quod sanis illa non sunt danda, sed sunt sicut venenum. Tantos autem viros in medicina Primarios, omnium Medicorum, Philosophorumq; Præceptores meritissimos, omnibus laudibus, honoribusq; dignissimos in hac re aduersari non est dicendum, ipsi enim vnanimi simul fatentur, quod alexipharmaca sicut ægrotis, sic etiam sanis conueniunt, si illa debita quantitate sumantur, si autem quantitate immodica, non solum non vtilia, immò nocua admodum sunt, vt Galen. docet lib. 5. de Simpl. med. fac. cap. 18. Idem asserit Auic. in Cant. dum ait, *Vsus autem harum*, idest medicinarum Theriacalium, *non est conueniens tempore sanitatis, & ideo qui vtitur frequenter illis, incurrit inde nocumentum*, Verbum autem illud *frequenter*, nimiam quantitatem significat. Eodem modo intelligendus est Auerr. nam axioma est illud Medicum, quod *inter medicamenta, & corpora semper esse debet debita proportio*. Alexipharmaca igitur debita quantitate sumpta iuuant, sed nimia quantitate nocent, sicut accidit in

hoc

hoc anno admodum Illuſtri, & admod. Reuer. Domino Franciſco Malegonnello Canonico Florentino, viro quidem nobilitate, probitate, virtutibuſq; prædito, qui timore magno contagij ductus alexipharmaca multa, diuerſaq; ſumebat, vnde ægrotauit, & perijt, ſicut retulit nobis illius Medicus vir quidem omni fide dignus. Non eſt igitur mirandum, ſi in hoc anno aliqui alexipharmacis multis vtentes ægrotauerunt, & mortui ſunt.

54 *Medici quidem ipſi in Lazzarecto curare nolebant, ſed tàm Medici curaturi, quàm ægroti curandi coactè ad Lazzarectum ducebantur.*

Adeo horribile erat vniuerſæ Ciuitati Lazzarectum, vt non ſolum ægroti curandi (vt dictum fuit) ſed Medici etiam ipſi curaturi, neglecta copioſa mercede illud adire nolebant. Violentia autem illa opus fuit, quia tempore Peſtis non hominum voluntati, ſed neceſſitati, publicæq; vtilitati ſeruire oportet; & Medici etiam ipſi non quod cupiunt, ſed quod poſſunt tanquàm neceſſarij ad vnam omnium ſanitatem, & ſalutem efficere tenentur. Præterea Sanitatis Præſides opinabantur, quod Medici illi debitis curationibus, idoneiſq; ſuis remedijs ægrotos ab Contagio ſanaturi, & ſe ipſos ab

illo

illo præseruaturi essent. Iustissima igitur violentia illa erat, & ideo tàm ægroti, quàm Medici coactè ad Lazzarectum ducebantur.

11. *Vbi ægroti, & Medici simul cum agonia ferè omnes moriebantur.*

Agonia est animi perturbatio constans ex timore, & ira, vno, & eodem tempore, vt Gal. docet lib. 2. de Caus. sympt. cap. 5. Timor, & ira sunt duo animi affectus contrarij, nam timor est cum motu ab circumferentia ad centrum, ira verò à centro ad circumferentiam; timor refrigerat, ira autem calefacit corpus. Fiunt illi duo affectus in vno, & eodem tempore, & non vnus post alium, sicut est in verecundia, quæ quidem & ipsa constat ex duobus affectibus contrarijs, vt timore, & verecundia, at vnus est post alium, prius enim est timor, postea sequitur verecundia. In agonia ambo affectus in vno, & eodem tempore fiunt, & ideo agonia est magnus affectus, magnaq; animi perturbatio, vnde morbos magnos, symptomata praua, mortemq; ipsam adducit; si enim solus magnus timor mortem ferre potest, multo magis vnitus cum ira, quæ licet sola mortem ferre non possit, attamen vires, & robur cordis ita labefactat, vt cum timore magno vnita mor-

tem

tem ferre potest, nam vt ait Arist. lib. 5. Polit. *Ira est cum dolore, odium autem sine dolore*. Lib. etiam 2. Reth. ait, *Iram concomitatur dolor, nam qui irascitur, dolet*. Et lib. 4. Ethic. similiter ait, *Vltio sedat iram, & loco doloris voluptatem efficit, quod si hoc non fiat, habent ipsum pondus*, nempè dolorem, & molestiam, quæ quidem vires debilitat. Pessima est igitur omnium animi passionum agonia; vnde sanctus Euangelista Luca, vt CHRISTI Redemptoris nostri passionem omnes alias excedentem ostenderet, scribit cap. 22. *Et factus in agonia prolyxius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*. Sudauit autem sanguinem cum esset in agonia, quia purissimus, & tenuissimus erat sanguis illius, porositates corporis ob iræ caliditatem adapertæ, & facultas retentrix præ magno dolore, timoreq; quasi resoluta erat, vnde sanguis per cutim exibat; aperta enim via, materia tenui existente, virtute quasi abolita necessariò sanguis, vt sudor effundi, debuit. Summo iure igitur tàm Medici, quàm ægroti in Lazzarecto cum agonia moriebantur, nam vno, eodemq; tempore timore, & ira affecti erant, timore quidem contagij, & mortis; ira autem, quia violenter, & coactè ad Laz-

zarectum ducebantur, ibiq; violenter, & coactè retinebantur, nam, vt ait Arist. lib. 3. Eth. *Quæ ab inuitis fiunt, dolorem afferunt*. Sed contra Arist. obijciet aliquis, ira non dolorem, sed voluptatem secum affert, cum sit suauis, & dulcis; & ideo Homerus iram Achillis cecinit dicens.

Dulcior illa fauo circum præcordia gliscit.

Respondemus, iram solam quoad se ipsam semper dolorem; quoad vindictam, & cum illa coniunctam, voluptatem semper afferre; Arist. iram solam, Homerus autem cum vindicta coniunctam sumit, nam etiam Arist. quoad vindictam illam sumens, dulcem esse illam asserit, & ideo lib. 2. Reth. dicit, *Omnem iram voluptas sequitur, quam ipsa vlciscendi, & vindicandi spes facit*. Amplius addit, *Ira dulcis est, quia iratus semper in illa cogitatione versatur, vt vlciscatur*. Et lib. 1. Reth. dicit, *Illa grauis, & intolerabilis iniuria est, quam qui patitur, vlcisci non potest, quippè quæ irremediabilis videatur, est enim vltio remedium quoddam, & quasi leuamentum iniuriæ*. Similiter lib. 4. Eth. dicit, *Vltio sedat iram, & loco doloris voluptatem efficit*. Et lib. 3. Eth. dixerat, *Homines, cum irascuntur, dolent, sed letantur, cum vlciscuntur*. Torquatus Tassus Poe-

ta celeberrimus idem confirmans cecinit,

E dolce è l'ira in aspettar vendetta.

Et alibi.

Condonando il piacer della vendetta.

Et ideo rectè diximus, quod non ira, sed vindicta dulcis, & suauis est.

56 *Nobiles, & diuites præ timore Ciuitatem, vt odiosam deserentes nemorum, & syluarum tanquàm facti ciues amica rura inhabitabant.*

Vita nihil est expetibilius, nihilq; gratius, necnon viuere diù maximè omnium appetunt homines; vnde dixit Homerus,

Mallem quidem in re rustica inopi seruo seruire,
Quam defunctis omnibus imperare.

Pericles quoq; noluit conserere manum cũ hostibus, & quia inde calumniabatur, dicebat, *Arbores resectæ repullulant, homines autem extincti nunquam recuperantur.* Nobiles, & diuites, vtpotè qui omnibus bonis humanis abundant, & in hoc mundo vitam fęlicem ducunt prę cęteris vitam amant, & mortem horrent, nam, vt ait Arist. *Quò quisq; fęlicior est, eò etiam molestius mortem fert, cum maximis bonis spolietur;* & ideo ipsi Ciuitatem, tanquam contagij, & mortis domicilium odio habebant; & licet patria illorum esset, non tamen amplius, cum Poeta nostro dicebant.

Pa-

Patria vista gioconda, e desiata.

Sed Ciuitatem deserentes (vt ab contagio, & morte tutiores essent) satis longe abeuntes inculta nemora, rudesq; syluas amantes amica rura lętè inhabitabant, tantus erat in illis propriæ vitæ amor; vnde cum Poeta nostro illud canebant,

Poiche Amor femmi vn Cittadin de' boschi,

Etillud etiam,

Le Città son nemiche, amici i boschi.

Summo iure igitur nobiles, & diuites amica rura inhabitabant,

57 Ciues, & opifices satis locupletes Sanitati Præfectos magnis precibus orauerunt, vt siquis morbus cutaneus illis accidisset, in proprijs domibus, proprijsq; sumptibus curari sibi liceret, nec ad Lazzarectum duci cogerentur.

Odiosa erat Ciuitas, non solum nobilibus & ditibus, sed etiam ciuibus, & opificibus satis locupletibus, tamen negocijs, & artibus occupati rura inhabitare non poterant. Quoniam autē quotidie accidere poterat, vt vnusquisq; illorum cutaneo aliquo morbo laboraret, itaut ad Lazzarectum inuitè duci cogeretur, ideo Lazzarectum pro viribus fugientes, Sanitatis Pręsides orauerunt, vt in proprijs do-

mibus inter ſuos familiares, & domeſticos proprijs ſumptibus, proprijſq́; commodis curari ſibi liceret; pauperes, & egeni nec deprecari, nec conſequi illud poterant, cum in proprijs domibus, proprijſq́; ſumptibus ob inopiam curari non poſſent.

58 *Sanitatis autem Præſides gratiosè Medicos duos, totidemq; Chyrurgos elegerunt, qui in proprijs domibus, proprijſq; ſumptibus illos curarent, ſed alium cutaneo aliquo affectu non laborantem curare poterant nullum.*

Gratificati fuerunt illis Sanitatis Præſides, & libentiſſimè, tùm quia omni benignitate, humanitateq́; præditi erant, tùm quia petita rationabilia, & decentia admodū erant; & ideo Medicos duos, & Chyrurgos duos elegerunt, qui quidem ſolos illos curarent, qui cutaneo aliquo morbo laborarent, dummodo in proprijs domibus, proprijſq́; ſumptibus curari poſſent, cutaneo autem aliquo morbo non laborantem curare poterant neminem; & hoc, nè Medici illi ab ægrotis illis contagium recipientes, alios poſtea ægrotos cutaneo morbo non affectos contagio afficerent.

59 *Omnes alij morbo non cutaneo laborantes à quolibet alio Medico, in quolibet loco, & tempore ad libitum curari poterant.*

Ver-

Verba ista sunt adeò per se clara, vt nulla alia indigeant declaratione, quicumq; enim morbo aliquo cutaneo non laborabant, in proprijs domibus, proprijsq; sumptibus à quolibet Medico curari poterant; & si moriebantur, non in agris extra Vrbem, sed in Ecclesijs, proprijsq; monumentis sepeliebantur.

60 *Gratia fuit laudatissima, sicut fuit omnibus gratissima, & ab illa hora contagij, & mortis timor, & horror publicè decrescere ceperunt.*

Medicina nō prorogat vitam hominis, nam si hoc esset, homo etiam æternus esset, aut saltem ad libitum vitam longęuam viueret. Non potest autem Medicina vitam prorogare, quia nō solum hominibus, & animalibus, sed plantis etiam, & inanimatis omnibus datus fuit à natura periodus vitæ, quem pręterire non possunt, qui quidem periodus sicut non est omnium indiuiduorum æqualis, sic est omnium diuersus, cum vnumquodquè habeat suum proprium determinatumq; vitæ periodum pro ratione, & proportione materiæ ad suum efficiens, nempè humidi radicalis ad calidum innatum, quibus deficientibus necessariò periodus ille, & vita deficiunt, & tunc necessariò mors omnibus aduenit, quę mors sine dolore,

& la-

& labore, aut alio morbo sequitur, cum naturalis sit, vt scribit Arist. lib. de Vita, & Morte cap. 14. Medicina solum vitam prorogat, quandò in medio illius periodi, & intrà terminos illius morbus aliquis lethalis superuenit, qui de se periodum illum, & vitam finiret, sed Medicina suis auxilijs morbum illum sanat, vnde vita prorogatur, nec mors accidentalis, & violenta sequitur; & ideo gratia fuit vniuersæ Ciuitati gratissima, nam vnusquisq; quotidie cutaneo aliquo morbo affici, & ad Lazzarectum inuitè ferri poterat, vbi non solum mors naturalis, sed nec mors accidentalis à Medicina prorogabatur, immò potius vtraq; breuiabatur. Cum autem in proprijs domibus, proprijs cõmodis, proprijsq; delicijs curari possent, læti admodum erant spe magna freti mortem accidentalem, & vitam fore prorogandas, nam vt ait Auerr, lib. 7. Collig. *Melius est vitam, & morbum prorogare, quàm vtrumq; abbreuiare*. Et licet non semper in proprijs domibus ægrotum ab morte accidentali Medicina liberet, mortem tamen dulcem facit, vnde gratia fuit gratissima, sicut etiam laudatissima.

61 *Fortunatus, & fęlix sibi videbatur ægrotus ille, qui nullo cutaneo morbo laborabat.*

Sicut

Sicut datur fortuna, quæ est causa per accidens indeterminata, & ignota, sic datur fortunatus, & infortunatus determinatus, & notus. *Et sicut fęlix est ille, qui omnia ad votum consequitur, vt Plato ait,* sic etiam fortunatus dicitur fęlix, quia omnia ad votum consequitur; & sicut fęlix omnia rectè agit, sic etiam fortunatus omnia rectè agit, vt scribit Arist. lib. 7. Eth. ad Eudemum, & Hipp. lib. de Locis in Homine. Differunt fortunatus, & fęlix solum in hoc, quod fęlix cum ratiocinatione, fortunatus autem sine ratiocinatione rectè agit; & ideò sicut fortunatus est fęlix, sic etiam fęlix est fortunatus; vnde dixit Arist. lib. 2. Physic. *Fortuna, aut est fœlicitas, aut propè ipsam.* Et lib. 1. Eth. ad Nicom. etiam dixit, *Fortuna vitam beatiorem reddit, nam fœlicitatem decorat.* Cum itaq; fortunatus sit etiam fęlix eo modo, quo dictum est, dubitat Arist. an fortunatus sit à natura, veteres enim nonnulli Philosophi opinati sunt, quod fortunatus sit à natura, dicentes, *Fortunatum illum esse, qui habet à natura genium optimum gubernatorem;* & ideò fortunatus etiam in exilio, & in medijs calamitatibus fortunæ benignitatem experitur, tanquàm ductus ab illo optimo genio gubernatore, itaut *Fortuna sit quoddam prin-*

cipium in nobis insitum, & congenitum, vnde nos rectè, & fœliciter sine ratiocinatione, & discursu agimus. Quomodo autem fieri possit, vt fortunatus sine raticinatione rectè agat, declarabant exemplo, sicuti enim Deus est in vniuerso, à quo multa bona sine nostra ratiocinatione, & voluntate fiunt in nobis, sed ab illo Diuino principio proueniunt; sic fortuna, & genium illud optimum multa bona sine vlla nostra ratione, & discursu agit, & operatur in nobis, vnde fęlices sumus. Principium autem illud est omni nostra cogitatione, & voluntate præstantius, sed quia est nobis ignotum, ideò appellatur Fortuna, idem enim est fortuna, & causa ignota, & sic dicebant veteres, *Hominem fortunatum ab natura esse fortunatum*. Hanc opinionem videtur probare aliquo modo Arist. lib.10. Eth. ad Nicom. dum ait, *Non est in nobis, vt boni natura simus, sed ex quadam Diuina causa*, vt illis, qui re vera fortunati sunt. Illam tamen opinionem refellit ipsemet Arist. lib. 7. Ethic. Eudem. cap. 17. Sed satis sit nobis nunc ostendisse, fortunatos, & fęlices illos esse, qui bona, & prosperos successus ad votum cõsequuntur. Quoniam verò cutaneo morbo in Ciuitate nihil erat horribilius, & in votis ægrotantium nihil

hil

hil desiderabilius, quàm morbo cutaneo non laborare, hinc erat, quod siquis alio quouis morbo affectus esset, morbum illum parum pendens, ac si sanus esset, fortunatus, & fęlix sibi videbatur, quia morbo nullo cutaneo laborabat.

62 *Qui autem laborabat, nesciebat, an viuere esset mori, an mori viuere, & an viuens mortuus esset, an mortuus viueret.*

Magnus timor, pauor, & horror, vt dictum fuit, adeò mentem è sua sede mouebant, vt illa verum à falso pęnitùs discernere non poterat, & dementiam quandam pariebant, itaut rationi nullus relinquebatur locus; vnde ęgroti, qui morbo cutaneo laborabant, tanquàm horrore illo ebrij iudicare non poterant, an viui, an mortui essent, & an vita esset mors, an mors vita, & an viuerent, an morerentur, & sic dubiam vitam viuebant, dubiaq; morte moriebantur, dum certa morte viuebant, certaq; vita moriebantur.

63 *Omnes ministri Sanitatis (demptis multis viris nobilibus) mercenarij, & venales homines erant.*

Vt Serenissimi Ferdinandi liberalitas, magnificentia, & magnanimitas clarius appareant, nunc Historicus declarat, quod Sanitatis mi-

nistri duplices erant, aliqui enim viri nobiles erant, qui more nobilium nullo præmio, nullaq; mercede ducti erant, sed Serenissimo Ferdinando obedientiam, publicæ vtilitati seruitutem, erga pauperes pietatem profitentes gratissimè suum præstarent officium. Aliqui autem (qui multi, & multi erant) sola mercede moti ministrabant, quæ quidem merces satis magna erat, quia magna etiam, immò maxima erat Serenissimi Ferdinandi liberalitas, magnificentia, magnanimitas, & pietas. Scribunt nonnulli, quod tempore Pestis alia animalia macrescunt, solæ autem Capræ pinguescunt. In hoc anno, & in hoc Contagio verificatum id fuit in quibusdam Sanitatis ministris, qui quidem prius macri, & emaciati sicuti Capræ erant, (cum antea pauperes essent) sed postea tempore contagij pingues, & dites factis sunt.

64 Si quis à Lazzarecto sanatus redibat, aut miraculosè sanatus, aut rediuiuus existimabatur.

Miracula quidem fiunt, sed quàm rarissimè; aliter enim non essent miracula. Vera etiam, & omni certò certior est mortuorũ resurrectio, quæ quidem miraculosa est, & ideo rarissimè hactenus visa. Plato lib. 10. de Rep. veritatem resurrectionis lucidissimè confirmauit, dùm

præ-

prꝗstantissimi viri Heri Armenij scripsit Historiam dicens, *Ille enim, cum obcubuisset in pralio, sublatis alijs decimo die cadaueribus iam corruptis integer quidem incorrupto corpore repertus fuit, domumq; delatus pro officio sepulturæ, vbi duodecima ab morte die, dum Pyræ esset impositus, resurrexit, & quæ interim viderat, retulit.* Ægrotare in Lazzarectis, & ibi sanari non quid miraculosum, aut quàm rarissimè factum videri debebat, attamen Lazzarecti fama apud omnes horribilis adeò erat, vt si quis ab Lazzarecto sanatus redibat, potius miraculosè, quàm arte, aut natura sanatus iudicabatur; omnes enim potius miraculum, & resurrectionem, quàm sanationem in Lazzarecto credere volebant.

65 *Qui autem sanatus redibat, antequam domum adiret, Quarantenam agere cogebatur.*

1 Sanitatis Prꝗsides adeò vigilantes, & curiosi erant, vt Contagium pęnitus deleretur, quod si quis sanatus ab Lazzarecto redibat, domum propriam adire non poterat, nisi prius ille Quarantenam egisset; hoc autem rectè fuit institutum ad hoc, vt si quid contagij in corpore illo remansisset, spacio quadraginta dierum omninò extingueretur. Quarantena in proprio quodam Lazzarecto ad hoc solum con-

ſtructo agebatur. De Quarantena nihil aliud nunc dicimus, nam de illa ſuo loco inferius ſatis plenè tractabimus.

66 *Poſtea veſtimentis veteribus omnibus combuſtis, nouis autem indutus, tanquàm corpore, & veſtibus homo nouus ad propriam domum reuertebatur.*

Contagij fomes diuersè in rebus perdurare poteſt, nam in corporibus, & perſonis bimeſtre temporis ſpacium; in parietibus, & ferramentis annuum tempus; in veſtibus, & lineis pannis triennium; in laneis, & ſimilibus vltra triennium conſeruatur, nihil enim diutius, quàm lana fomitem ſeruat, & ſicut oleum ignis, ſic lana eſt pabulum fomitis, & veneni; lana etiam non ſolum nutrit venenum, ſed illud fortificat, & auget. Notandum eſt, quod fomes, & venenum tàm diù in rebus durare ſolent, quàm diù ſupra dictum eſt, niſi lotionibus, fumigijs, ignibus, ventis, sole, aut alijs ſimilibus corrigátur; talibus enim correctæ breuius fomitem ſeruant. Sanitatis Præſides, vt fomes, & contagium non ſolum corrigerentur, ſed omninò extinguerentur, omnes veſtes ſanatorum, & contagio mortuorum comburi præceperunt; nouis autem veſtibus indutus omnis ſanatus (peracta iàm Quarantena) ad

propriam domum reuertebatur. Nouus homo corpore, & veſtibus dicebatur, quia vt rediuiuus iudicabatur, & veſtibus nouis indutus erat. Omnia veſtimenta noua omnibus ſanatis ab Sereniſſimo Ferdinando ſolita ſua liberalitate, & pietate donabantur.

67 *Mortuorum autem in proprijs domibus non ſolum veſtimenta, ſed lectum, & ſuppellectilia omnia cremabantur.*

Inter ea, quæ fomitem, & contagium diù conſeruant nos ſuperius diximus eſſe pannos lineos, & laneos, ex quibus non ſolum veſtimenta, ſed lecta, & ſuppellectilia multa conficiuntur; & ideò hæc omnia ſummo iure cremabantur; & ſicut omnia veſtimenta noua ſanatis, ſic etiam omnia lecta noua, & completa, omniaq; ſuppellectilia noua domibus mortuorum Sereniſſimus Ferdinandus liberaliter, & piè largiebatur.

68 *Virgines, & pueri Crucis vexillum per Ciuitatem geſtantes, Litanias canentes; viri, & mulieres variè vouentes; Sacerdotes aſſiduè ſacrificia, multaſq; ſupplicationes Deo, & Deiparæ offerentes, ſanitatem, & publicam ſalutem deprecabantur.*

Florentia fuit ſemper Ciuitas catholica, pijſſima, & cultui Diuino omnium deditiſ-

ſima;

ſima; argumentum ſint tot Eccleſiæ, tot ſacra Oratoria, tot piæ Congregationis diurnæ, & nocturnæ, manifeſtæ, & occultæ, tàm puerorum, quàm adultorum, tàm virorum, quàm mulierum; tot exercitia ſpiritualia, tàm frequens ſanctiſſimorum Sacramentorum vſus, tanta Mariæ Virginis deuotio, totq; piæ actiones, quas ſingulis horis vniuerſa Ciuitas præſtat: Vnde mirandum non eſt, ſi in hoc anno (vt ab contagioſo morbo liberaretur) illa Deo, & Dei matri tot, tàmq; varias preces ſupplex obtulit, itaut virgines, & puellę pedibus nudis, effuſiſq; capillis Ciuitatem perambulantes; ſicut & pueri Crucis vexillum geſtantes, Litanias omnium Sanctorum, maximè autem ſanctiſſimi Roſarij canentes, ſanitatem, & publicam ſalutē omnes ſimul deprecabantur. Viri etiam, & mulieres vota varia facientes, variaſq; pias actiones exercentes Diuinum auxilium implorabant. Sacerdotes etiam quotidie Deo ſacrificantes, multaſq; ſupplicationes offerentes, Imagines miraculoſas, reliquias, & corpora Sanctorum per Vrbem portantes, populo comitante, miſericordiam à Deo deuotè petentes contagij extinctionem depoſcebant. Non ſolum autem populus comitabatur, ſed etiam

pijſ-

pijssimus, & Diuini cultus amantissimus Serenissimus Ferdinandus semper primus aderat.

69 *Quoniam autem numerus ægrotantium non nihil crescebat, Præfecti Sanitati alia etiam plura Lazzarecta extra Vrbem, & valde distantia erexerunt.*

Sicuti Lazzarecti duplicatio superius laudabilis fuit, sic illius multiplicatio nunc laudabilissima est; & sicut illis laudes duplicauimus, sic istis easdem multiplicare debemus, nam si beneficia, & vtilitates duplices illa ęgrotis afferebant, sic ista multiplices, maximasq; illis portabant. Beneficia, & vtilitates, sicut ex superius dictis, patent, sic ex dicendis etiam melius patebunt.

70 *Multiplicatis Lazzarectis timor, & horror in Ciuitate quotidie diminuebatur.*

Sicut vnitas Lazzarecti timorem, & horrorem, sic illius multiplicatio spem, & gaudium in tota Ciuitate genuerunt, & quot illa damna, tot ista beneficia secum tulit, nam sicut timor, & horror corpus refrigerando facultatem animalem, vitalem, & naturalem debilitabant, sic spes, & gaudium corpus excalefaciendo validiores illas reddebant; & sicut illæ facultates impeditæ actiones suas edere tunc non poterant, sic postea adauctæ perbellè illas edebant,

vnde

vnde ſanitas cum vita ſubſequebatur; notum enim eſt apud omnes Philoſophos, & Medicos, quod ſpes alit, & ſola ab moleſtijs animum liberat; ſpes vitam fouet, *Cum ſuper cordis gaudium non detur aliud oblectamentum*. Spes, & gaudium ſunt vita hominis; vnde Statius dixit, *Dant gaudia vires*. Auic. etiam dixit, *Gaudium impinguat corpus, & eſt cauſa roboris, pulcritudinis, & longitudinis vitæ, & eſt ſignum bonæ compleſſionis, & diſpoſitionis ipſius cordis, & ſpirituum illius, & ideò gaudium eſt laudabile*. At dicet aliquis, gaudium non impinguat corpus, immò corpus pingue lędit, & occidit, nam præ gaudio multi mortui ſunt, vt notum eſt. Reſpondemus, quod gaudium duplex eſt, magnum illud, maximum iſtud, ſubitoq; factum; gaudium magnum impinguat corpus macrum, nam auget calorem in corde, omneſq; ſpiritus confortatur; maximum autem, ſubitoq; factum occidit non ſolum corpus macrum, ſed etiam, & multò magis corpus pingue, cum in corpore pingui calor ſit debilior ob venarum anguſtiam, & ideò facilius extinguitur, & mors ſequitur. Iterum dicet, cur gaudio aliqui pereunt, ira autem nemo perit? Reſpondemus, ira duplex eſt, moderata, aut magna; ira mo-

derata nemo perit, ſed ira magna aliquis perire poteſt ob magnam caloris, & virium reſolutionem; nam ſi in ira magna fit ſyncope, quæ eſt maximus virium lapſus, ſyncope autem facilè tranſit in mortem, cur non etiam ab ira poteſt naſci mors? Idem fortaſſe dici poteſt de riſu magno, & cum gaudio magno vnito, quo aliquis perire poteſt, cum ille ingenti caloris, & ſpirituum reſolutione fiat.

71 *Et ægrotantium, & mortuorum numerus decreſcebat.*

Diminuta cauſa diminuitur effectus, ſi igitur multiplicatis Lazzarectis timor, & horror in Ciuitate fuerunt diminuti, ægrotantium, & mortuorum numerus decreſcere etiam debebat, cum timor, & horror morborum, & mortis cauſæ præcipuę fuerint.

72 *Ægrotantes etiam ad Lazzarecta ſeſe ferri libenter ſinebant.*

Aliud beneficium narrat Hiſtoria, quod plura Lazzarecta ægrotis tulerant, & eſt, quod ægrotantes non violenter, ſed libenter ad Lazzarecta ferebantur, nec agoniam patiebantur, cum non vt morituri, ſed vt ad domum reuerſuri lætè ad Lazzarectum ſe ferri permittebant.

73 *Lazzaretta plura pro diuersitate ægrotantium inter se diuersa quoq; erant.*

Diuersa esse morborum genera vnicuiquè notum est. Diuersas esse morborum species clarum est, ideò dixit Plinius, *Tercentos esse humani corporis morbos*. Diuersa esse hominum temperamenta, & diuersas esse naturas notissimum quoq; est; vnde dixit Auic. *Temperamentum, & complexionem habet omne indiuiduum sibi solummodo propriam, in qua aliud indiuiduum associare, vel communicare rarò contingit, aut impossibile est.* Alibi etiam dixit, *Temperamentum, seu complexionem dedit Deus vnicuiq; animali, & vnicuiq; membro, sicut illi magis conuenit, & quod melius existit illius actionibus, & dispositionibus.* Hipp. etiam lib. de Artic. dixit, *Magna est differentia naturarum in hominibus.* Et alibi etiam dixit, *Differt corpus ab corpore*; & ideò Porphyrius difiniebat indiuiduum dicens, *Indiuiduum est illud, cuius proprietates alteri indiuiduo non conueniunt.* Gal. etiam lib. 6. de Tuen. sanit. cap. 1. & lib. 1. ad Glauc. cap. 1. & lib. 3. Met. med. cap. 7. dixit, *Temperamenti, complexionis, & naturæ hominum plurima est differentia, & ideò vnicuiq; sanitatis tuendæ sua propria prouidentia, & cura esse debet.* Diuersa esse morborum tempora

ra

ra neminem fugit, ſicuti etiam omnibus notiſſimum eſt, diuerſum eſſe ſtatum ęgroti, dùm eſt in morbo, & dùm eſt in conualeſcentia. Diuerſitatem morborum, temperamentorum, naturarum, temporum morbi diuerſa remedia, diuerſamq; curationem requirere, neminem latet. Diuerſitatem quoquè maximam ægrotorum, qui ad Lazzarecta ducebantur, nemo ſanæ mentis inficiaretur; vnde rationabiliter Sanitatis Præſides ob talem, tantamq; rerum diuerſitatem plura, & diuerſa Lazzarecta conſtruxerunt.

74 *Nam in alijs lethali, in alijs ſalutari morbo affecti.*

Diuerſitatem morborum, & ægrotantium Hiſtoricus proſequitur, vt diuerſitatem Lazzarectorum ſummo iure factam melius oſtendat. Licet autem omnes illi morbi in his duobus conuenirent, quia omnes erant conſtitutio corporis præter naturam cum lęſione actionum; & etiam quia omnes erant cutanei; attamen, quia iſta conuenientia nimis generica eſt, ideò diuerſitatem, & differentias magis ſpecificas declarat, & addit, quod morborum alij lethales, alij ſalutares erant, vnde Lazzarecta etiam diuerſa erant, & in alijs lethali,

in alijs ſalutari morbo laborantes commorabantur; nam cum morbi eſſent omnes contagioſi, & aliqui lethales, aliqui autem ſalutares eſſent, ſi omnes ægroti vno, eodemq; Lazzarecto ſimul permanſiſſent, certè ſalutari licet contagioſo morbo affecti, lethali poſtea facto, neceſſariò mortui fuiſſent; diuerſa igitur inter ſe Lazzarecta eſſe debebant. Sed quia dictum fuit ex mente Galen. & omnium Medicorum, quod ſemper morbus eſt conſtitutio corporis præter naturam cum læſione actionum, dicet aliquis, non ſemper morbus eſt conſtitutio corporis præter naturam cum læſione operationum, nam aliquando dantur morbi, qui augent, & perficiunt actiones, vnde phrenetici ad motum voluntarium ſunt validiores, quàm fuerint in ſanitate. Item, omnes ſenſationes, & actiones animales in aliquibus morbis fiunt intenſiores, vt melius videre, audire, odorare, imaginari, recordari, ratiocinari, & ſimilia, vnde melancolici, & hyppocondriaci ſunt ingenioſi, moroſiquè, & tamen ægrotant, & remedijs indigent. Item, multi pueri ſcioli magno mentis acumine, acutoq; ingenio pollent, qui quidem vitales non ſunt, & in ipſa pueritia moriuntur; & ideò dixit Auicen.

Inge-

Ingenij ſubtilitas eſt morbi ſignum. Plinius quoq; lib.7. ait, *Senilis iuuentus præmaturæ mortis eſt ſignum*; addit etiam, *Morbus eſt aliquis per ſapientiam mori*. Galen. quoq; lib. de Arte medicinali idem confitetur, Item, ſtulti aliqui pulcherrima aliquando dicunt, & multi deſipientes inaudita proferunt, futura prædicunt, vaticinanturquè, vnde Maracus Ciuis Syracuſanus Poeta tunc præſtantior erat, dùm mente alienaretur, vt ſcribit Ariſt. in Probl. Reſpondemus, quod ſemper morbus eſt cum læſione actionis, nec augetur, aut perficitur actio, ſi quis ægrotus voluntariè melius moueatur, melius videat, audiat, imaginetur, recordetur, ratiocinetur, omneſq; alias actiones melius edere videatur, immo tunc læditur actio, ratio autem eſt, quia omnis exceſſus corrumpit naturam, quæ in mediocritate fundatur, mediocritas autem eſt contraria ſuis extremis, à quibus æquè læditur, omnis enim exceſſus morbus eſt, quia eſt conſtitutio corporis præter naturam ſuam, ſiuè ſit in melius, ſiuè in peius; vnde ſicut nihil ſentire, aut parum ſentire morbus eſt, ſic etiam nimis ſentire, nimiſq; omnes alias actiones agere morbus eſt; & ſicut nihil ſapere, ſic nimis ſapere morbus dici debet, *Cum omne ni-*

mis

mis corrumpat naturam, quæ è limitibus ſuarum virium exiens, & ſupra captum ſuum agens morbos adducit. Reſpondemus etiam, quod morbus ſemper primò, & per ſe lędit actionem, at ſecundario, & per accidens aliquandò etiam auget, & perficit illam, & ratio eſt, quia morbus ille tollit, aut minuit impedimentum naturæ, quæ cum ſuis facultatibus melius, aut peius operatur, prout magis, aut minus impeditur; ſed quia impedimentum illud in aliquo morbo tolli, aut minui poteſt, ideò tunc augetur, aut perficitur actio, cum morbus ille ſit remedium impedimento, hoc enim fit, quandò morbus eſt impedimento contrarius. Diminuto igitur, aut ablato impedimento augetur, & perficitur actio, nam facultas minus impedita melius agit, & nihil impedita perfectè agit, natura enim cum ſuis facultatibus ſemper de ſe rectè operatur, & illius actio ſemper eſt ſecundum naturam, nec augeri, aut perfici poteſt, at magis, aut minus impedita, magis, aut minus rectè agit.

71 *In alijs conualeſcentes.*

Conualeſcentes ſunt adeò diuerſi ab alijs tùm ſanis, tùm ægrotis, & adeò diuerſa eſt illorum diæta, vt diuerſa etiam Lazzarecta me-

ritò

ritò illis instituta fuerint: Quod conualescentes differant ab alijs tùm sanis, tùm ægrotis, notum quidem est, nam conualescentes non sunt, neq; sani, neq; ægroti, sed mediam naturam habent inter sanum, & ęgrotum sicut sunt ipsi senes, vt Galen. docet. Diuersa similiter est illorum diæta, cùm media debeat esse inter diætam sanorum, & ægotantium, vt ait Galen. lib. 7. Met. med. cap. 6. & hinc est, quod conualescentium, sicut senum difficillima est custodia; ratio autem est, quia ob virium imbecillitatem ex leui occasione facillimè in morbum iterum relabuntur. Præcipuè autem cibi, & potus illorum magna est habenda cura; non enim tribuendus est illis cibus summè nutriens, cum sit difficilis coctionis, & ob debilitatem caloris ab illis digeri non possit; omnes enim cibi, qui valdè nutriũt, difficillimè etiam concoquuntur. Conualescentibus equidem conuenit cibus nutriens, sed non valdè nutriens, vt sunt oua sorbilia, quæ quidem nutriunt, sed non valdè nutriunt. Cibi, qui valdè nutriunt, corporibus sanis, robustis, ingentiq; calore præditis solum conueniunt, & isti vitam longęuam reddunt, sicut breuem illam faciunt cibi imbecilli, & pauci nutrimenti,

vt

vt ſunt olera, fructus, & huiuſmodi, vnde dixit Hipp. in Epid. *Imbecilliora cibaria breuem vitam reddunt*. Notandum autem eſt, quod cibus triplex eſt, aut enim eſt praui ſucci, ſed facilè concoquitur, & parum nutrit, aut eſt boni ſucci, & facilè digeritur, ſed non valdè nutrit; aut eſt boni ſucci, & difficilis coctionis, ſed valdè nutrit. Primus eſt, vt olera, poma, fructus, & ſimilia. Secundus eſt, vt oua ſorbilia, vinum, & ſimilia. Tertius eſt, vt panis, caro ſuilla, & huiuſmodi. Primus facilè concoquitur, at parum nutrit, quia fluidus eſt, & citò euacuatur pauco, aut nullo inde alimento relicto. Secundus facilè concoquitur, at non valdè nutrit, quia tenuis eſt, & difflans, nec adheret, nec firmiter affigi poteſt. Tertius difficilè concoquitur, at valdè nutrit, quia glutinoſus, & craſſus eſt, vnde adheret, & permanet, & quia glutinoſus, & craſſus eſt, ideo difficilè concoquitur, & digeritur; & ſic cibaria, quæ valdè nutriunt, ſunt ſemper boni ſucci, at difficilis coctionis & ideo caro ſuilla maximè omnium nutrit, quia boni ſucci eſt, & difficilè concoquitur, necnon glutinoſum, craſſumq; ſuccum generat, vt Hipp. & Galen. docent lib. de Alimento, & lib. 2. Aph. 18. Cum itaq; conuale-
ſcentes

ſcentes tantopere ab alijs diuerſi tàm magnam curam requirant, hinc fuit, quod Lazzarecta etiam diuerſa ab alijs conſtructa fuerint.

76 *In alijs ſuſpecti.*

Suſpecti etiam adeo diuerſi erant ab alijs, tùm ſanis, tùm ægrotis, tùm conualeſcentibus, vt diuerſa Lazzarecta ipſi quoq; requirebant. Suſpecti differebant ab ſanis, nam ſuſpecti erant illi, qui fomitis, & contagij non nihil in ſe habere poterant, & erant illi, in quorum domibus aliquis cutaneo morbo aliquo affectus, aut mortuus, aut ad Lazzarectum ductus fuiſſet, & qui aliquid fomitis inde recipere alijſq; poſtea impertiri potuiſſent. Diuerſi erant ſuſpecti ab conualeſcentibus, iſti enim neq; ſani, neq; ægroti, illi autem ſani realiter, & ægroti ſaltem timore erant; & ſicut illorum difficilis eſt diçta, & curatio, ſic iſtorum diçta, & cura facilis erat. Diuerſi erant etiam ab ægrotis, nam actu quidem non ęgrotabant, & diçta, curaq; illorum facilis ſanè, ſed diuerſa etiam erat. Diuerſa erat diçta ſuſpectorum ab diçta conualeſcentium, & ægrotantium, nam cibo ſummè nutriente fruebantur. Diuerſa quoq; erat illorum cura ab cura ſanorum, & conualeſcentium, quia alexipharmacis ad

Z delen-

delendum suspectum contagium vtebantur. Suspectorum igitur Lazzarecta ab alijs diuersa esse debebant.

77 *In alijs Quarantenam agentes cōmorabantur.*

Agentes Quarantenam diuersi quoq; erant à sanis, quia aliquo modo suspecti erant, aliter Quarantena inanis fuisset. Diuersi erant ab ægrotis, quia alexipharmacis, alijsq; remedijs non curabantur, & diæta sanorum vtebantur. Diuersi erant ab conualescentibus, nam vt sani diæta sanorum vtebantur. Diuersi erant ab suspectis, quia vt sani alexipharmaca non sumebant, & vt suspecti Quarantenam agebant. Rationabiliter igitur diuersa Lazzarecta constructa fuerunt.

78 *Omnibus his Lazzarectis omnia medicamenta abundantissimè, & pijssimè ab vno hospitali sanctæ Mariæ Nouæ comuniter dicto semper elargita fuerunt.*

Nullo silentio prætereūnda, nulliq; obliuioni tradenda sunt quæ nunc scribit Historicus, dū nait, quod omnia medicamenta, quæ in superioribus omnibus Lazzarectis (dempto vno primo) tùm à Medicis, tùm à Chyrurgis ad curandos omnes exhibita fuerunt, ab vno illo celeberrimo, & nunquam satis laudato hospitali

ſpitali dicto comuniter ſanctæ Mariæ Nouæ, abundantiſſimè, gratiſſimè, & pijſſimè ſemper ſubminiſtrata fuerunt. Mirandum quidem eſt, quomodo Hoſpitale illud tàm multa, tàm varia, tàm preciosa medicamenta, & alexipharmaca ſingulis diebus, & ſingulis horis non ſolum tot Lazzarectis, ſed etiam tot ægrotis proprijs, conſuetis, aſſiduis, ita copiosè, ita exactè confecta ſubminiſtrare potuerit: at certè non mirabitur quicumq; Reuerendiſſimum Franciſcum Mediceum loci illius Præſidem meritiſſimum, omni probitate, & pietate cumulatiſſimum, omni laude, & honore digniſſimum cognouerit. Non mirabitur etiam ſi pharmacopolæ, aramatarijq; loci illius bonitatem, peritiam, fidemq; perſpexerit.

79 *Menſe Ianuarij non dum elapſo, Aquilone iàm ſatis ſpirante.*

Hyems erat, & valdè frigida, ventus Aquilo iàm ſatis ſuperq; ſpirauerat, vnde ægroti erant non multi, mortui autem perpauci, & hoc ſumma ratione, nam in hyeme ventres ſunt calidiſſimi, & ſi ventus Aquilò ſpiret, calor ventris augetur, indè coctio, expulſio, omniſq; naturalis actio melior, maiorq; fit, & ideo dixit Hipp. lib. 1. Aph. 15. *Ventres hyeme natu-*

ra calidissimi, & lib. de sacro Morbo dixit, *Saluberrimus omnium ventorum Aquilo est*. Si igitur in hyeme calor naturalis magnus erat, & Aquilo spirans calorem augebat, natura etiam omnes suas actiones validiores edebat, vnde illa morbos superare, aut saltem minuere potuit, & ideò numerus ægrotantium, mortuorumq; quotidiè decrescebat, & contagij timor, horrorq; simul euanescebant.

80 *Luna autem crescente*.

Cęlum agit in hæc inferiora motu, & lumine, & omnis virtus inde gubernatur; Luna autem maximè agit in hæc inferiora, tanquàm Stella nobis magis proxima; & ideò Luna crescente, & plena omnia inferiora augentur, & pinguescunt, decrescente autem, & vacua omnia minuuntur, & decrescunt; vnde Luna obseruanda est à Medico in curatione, nam crescente, aut decresceute Luna Medicus etiam crescere, aut minuere curationem, & medicamenta debet, Luna enim agendo in hæc inferiora auget, & minuit ad modum sui; quod si inconsideratè curatio fiat, non poterit æger sanari, cum potius augeri, quàm minui morbus accidat. Quod Luna agat in hæc inferiora ad modum sui, patet, nam Mare per Lunam augetur,

getur, & diminuitur; Luna crescente cerebrum, & corpora hominum, & plantarum augentur, decrescente illa minuuntur; patet etiam in herbis, & medicamentis componendis, vt Galen. ait lib. de Dinamidijs. Luna in mense quatuor differentias operatur in aere, nam primus septenarius ab nouilunio vsq; ad septimum diem est similis veri, idest calidus, & humidus. Secundus septenarius vsq; ad plenilunium est similis ætati, idest calidus, & siccus. Tertius septenarius decrescente Luna similis est autumno, Quartus autem septenarius similis est hyemi, vt scribit Aetius lib. 3. cap. 162. Luna agit in omnia corpora, tùm sana, tùm ægrota, sed corpora sana ob robur sanitatis passionem defendere possunt, ægrota autem non possunt, cum maximè patiantur, alterationesq; recipiāt; & ideo morbi, qui fiunt ex detractione, decrescente Luna, deterius se habent; si autem fiant ex repletione, aut affluentia, crescente Luna, validius præmunt. Non solum in mari Oceano fit fluxus, & refluxus circa tales Lunæ transfigurationes, sed etiam in corporibus nostris fit fluxus, & refluxus humorum. Corpora, quæ in vniuerso Orbe pugnant, non solum corpora ægrota, sed Medicum etiam superant,

ita

ita arti cooperatur numen Diuinum, vt Galen. ait lib. de Dięta, Hipp. in Acutis cap. 3. Notandum est, quod calor naturalis corporibus nostris insitus est ille, qui primò, & principaliter concoquit, nutrit, auget, & omnes alias actiones peragit; at si secundario etiam ab calore externo Lunæ crescentis augeatur, tunc meliores, & validiores illas edit; sicuti si Luna decrescente non adiuuetur, quasi languens imperfectas, minutasq; illas edit, cum Luna non diffundat calorem suum dùm decrescit, sicut dùm illa crescit. Luna itaq; semper à Medico in curationibus est obseruanda, & omnes illius transfigurationes, quatuorq; septenarios totos attendere Medicus debet; & tunc laudandus est Medicus, sicuti deridendus est Medicus ille, qui solos quatuor terminos septenariorum, solosq; vltimos illorum dies considerat, quos Medici appellant *Terminos Lunæ*, in quibus terminis, & diebus ipsi nullo pacto sanguinem mitterent, nec medicamenta exhiberent, nec cauteria inurerent, nec aliud tale præstarent; nam Medici isti, aut veram Lunæ obseruationem ignorant, aut simulatores, aut superstitiosi, aut adulatores ægroti sunt.

Et Ægroti multi sanabantur, pauci autem moriebantur.

Mul-

Multiplicatis Lazzarectis; diminuto, & quasi deleto timore, & horrore contagij; aucto calore naturali non solum in Lazzarectis cutaneo morbo affecti, sed etiam intra, & extra Vrbem morbo quouis non cutaneo laborantes, vt plurimum sanabantur, pauci autem moriebantur.

82 *Gaudebat vniuersa Ciuitas tanquàm renati essent qui sanati fuerant, & nunquam morituri qui non ægrotauerant.*

Tota Ciuitas gaudio plena erat, quia vnusquisq; morbi, & mortis periculo perfunctus erat; & quicumq; ægrotus fuerat sanatus, renatus esse sibi videbatur; quicumq; autem sanus non ægrotauerat, incorruptibilis quasi iudicabatur, nam in hoc anno ægrotos non perire, sanos autem non ægrotare, paradoxum videbatur; & ideò vnusquisq; gaudens erat, sicuti enim periculum morbi, & mortis timorem, sic securitas audaciam in omnibus genuerat, tanquàm ab alieno morbo propriam sanitatem, & ab aliena morte propriam vitam adepti fuissent.

83 *Serenissimus Ferdinandus, vt vltimum contagij finem videret.*

Semper finis est principium motus, & primum

mum principium est vltimus finis, cùm omne agens agat propter finem, & quod est vltimum in actione, semper est primum in intentione, Serenissimi Ferdinandi semper fuit vltimus finis, vt contagium penitus euelleretur, & hoc fuit semper primum in mente illius, & ad hunc finem semper omnia facta sunt, ideò licet contagium extinctum videretur, tamen vt finis, & destructio illius certius sequeretur, duplicem Quarantenam concelebrari voluit.

84 *Quarantenam.*

Pytagoras vir sapientissimus, & celeberrimus tanti numerum fecit, vt virtutem in numeris posuerit, *Unde ad numerum virtutem referebat*, vt ait Arist. lib. 1. Magn. moral. cap. 1. Plato etiam multi numerum fecit, & ideò in Timeo, *Animam huius mundi ex numeris esse voluit; immò, Deos ipsos ex numeris constare dicebat*; & interrogatus ab Neocle, cur homini potius, quàm cuiquam ex ceteris animantibus credendum sit: Respondit, *Quia solus homo omnium animantium numerare nouit*. Inter numeros autem plurimi fecerunt numerum septenarium, tanquàm omnium rerum principium, & illi virtutem maximam tribuerunt, & certè summo iure, nam genitura septimo die habet quę-

cumq;

cumq; corpus habere debet; septimo die post conceptionem spermaticarum omnium partium prima rudimenta apparent; nemo potest viuere sine cibo, & potu nisi septem dies; nemo potest viuere sine respiratione nisi septem horas; puer natus septimo mense vitalis est, natus autem sexto, aut octauo non est vitalis; pueris natis non imponebatur nomen nisi septimo die, vt ait Arist.; puerulus die septimo à partu vmbilici reliquias iactat; puer septimo mense incipit dentire; puer septimo anno dentes mutat; hominis ætas septenario numero constat; omnes morbi terminantur diebus septenarijs, vel septem mensibus, vel septem annis, vt voluit Hipp. & si omnia nunc scribere vellemus, quæ de numero septenario, die, mense, & anno septenario dici possent, certè dies, mensis, & annus prius nos deficeret. Pythagoram quidem reprehendit Arist. attamen ipse multum tribuit numero septenario, vt patet lib. de Hist. anim. cap. 1. Hipp. etiam numero septenario tantum tribuit, vt Pythagoræ discipulus fuisse, & in verba Magistri iurasse videatur; vnde Corn. Cels. ausus dicere fuit, quod Hipp. Pythagoricus erat. Galen. Auic. Auerr. omnesq; Medici numerum septenarium vsq;

ad sydera sic tollunt, vt tota ars medica in septenario numero ędificata videatur, & ideo Gal. lib. 1. de Dieb. Decret. numerat septenarium diem, vt Principem inter alios dies non quidem numero, & ordine, sed viribus, & dignitate, & illum Regi clementissimo assimilat, sicut diem sextum Tyranno. Omnes Medici septimum diem omnium dierum Regem appellant. Notandum est, quod dies, vt dies est, & per se nullam in se virtutem continet, nullius rei causa est, & de se nihil efficit, sola autem natura omnem habet in se virtutem, omniaq; efficit, & discernit; dies est tantum signum, quo Philosophus, & Medicus cognoscit naturam bene operari, illumq; motum esse naturalem, cum sit factus in illo die; itaut dies significat, nihil autem efficit, natura enim discernit, & non dies, & si dies septenarius decretorius est, non vt causa, sed vt signum decretorius est. Notandum etiam est, quod Hipp. Galen. & omnes Medicis inter dies decretorios quadragesimum numerant, multumq; illi tribuunt, & ratio est, *quia dies quadragesimus omnium morborum acutorum decretorius est*, vt ait Hipp. lib. 1. Prognost. tex. 25. & Galen. in comm. & 2. Aph. 23. & lib. 1. de diebus Decret.

cret. cap.10.& 13. & Hipp.lib.1. de Morbis vulgaribus ægroto decimo, qui die quadrageſimo perfectè iudicatus fuit; & lib. 3. Epid. ægroto tertio, qui quadrageſimo die ſimiliter perfectè iudicatus fuit. Quod dies quadrageſimus ſit omnium morborum acutorum decretorius patet, nam poſt quadrageſimum diem ceſſat vis, & efficacia dierum decretoriorum, cum ille ſit finis, & terminus omnium acutorum morborum; & hinc eſt, quod poſt quadrageſimum diem omnes morbi languent, nec amplius criſibus, ſed coctione, aut abſceſſibus finiuntur, niſi rariſſimè; vnde Hipp. poſt diem quadrageſimum dies decretorios contemnit, cum ille ſolus ſit omnium morborum acutorum finis. Nec obijciat aliquis diſſentientem doctrinam Hipp. qui aliquando dicit, *Quartumdecimum diem morborum acutorum eſſe finem*, vt lib. 2. Aph. 23. Aliquando vigeſimũ diem, vt lib. 3. Epid. ægroto quinto Cherione, qui vigeſimo die perfectè iudicatus fuit, ſicuti etiam lib. 3. Prognoſt. Aliquando quadrageſimum diem, vt in locis ſuperius allatis apparet, nam diſſentio iſta facillimè conciliatur dicendo, quod triplex eſt acutorum morborum genus, aliqui enim ſunt abſolutè, & ſimpliciter acuti, & iſti die

quartodecimo iudicantur; alij ſunt acuti ſine alia adiectione, & iſti die vigeſimo iudicantur, alij autem ſunt acuti ex decidentia, & iſti quadrageſimo die iudicantur, vt Galen. docet: Cum itaq; dies quadragenarius tantam vim habeat, vt omnes acutos morbos decernere poſſit, rationabiliter Quarantena fuit inſtituta, quę numero quadraginta dierum conſtans omnes morbos acutos cutaneos iudicare poterat, quiquidem morbi cum eſſent acuti, quocumq; modo eſſent acuti, iudicari, & finiri debebant.

85 *Duplicem, politicam vnam, ſacram alteram concelebrari voluit.*

Diximus ſuperius ex mente etiam ipſius Platonis, quod ſicut corporis, ſic & animi dantur morbi; corporis morbi ſunt multæ ægritudines, quas tercentas dixit eſſe Plinius; animi autem morbi ſunt vitia, & peccata, quæ dinumerare Theologi debent; & ſicut illas humana remedia vna cum Diuinis, ſic iſta non humana, ſed Diuina ſola ſanare poſſunt, & ſicut tàm corporis, quàm animi morbi curari debent, ſic Quarantena duplex concelebrata fuit; vt ſicut vna corporis morbos ſolum, ſic altera corporis, & animi morbos, vitiaq; ſimul ſanaret; & ideo ſicut illa politica, ſic iſta ſacra fuit; & ſi-

cut illa ab Serenis. Ferdinando Duce heroico, sic ista ab Illustrissimo, & Reuerendiss. Cosmo Bardio de Comitibus Vernij Archiepiscopo Florentino viro quidem omnibus meritis ditissimo instituta fuit; & sicut corporis morbi, animiq; vitia simul in Ciuitate erant, sic illa, & ista simul concelebratę fuerunt, vt sicuti corporis contagiosi morbi, sic animi peccata delerentur.

86 *Politica talis fuit.*

Incipit Historicus ordinem describere, qui in celebranda Quarantena politica seruatus fuit. Dicta autem est politica, quia Ciuitatis, ciuium, nobiliumq; gubernationem, & politiam respiciebat.

87 *Vnicuiq; Ciuitatis Sexterio Illustriss. Senatorem præfecit, cuius imperio agenda omnia agebantur.*

Dictum fuit superius, quod Florentia Ciuitas magna priscis temporibus in partes sex diuisa erat, quas Sexteria appellabant, licet postea in partes quatuor partita fuerit, quas hodie etiam Quarteria nominant: vt Quarantena politica facilius celebraretur, Sereniss. Ferdinandus partitionem Sexteriorum magis probans vnicuiq; Sexterio Senatorem vnum præfecit, & ille vnus ex illis erat, qui Sanitati Præfecti erant,

Authoritas data fuit illis maxima, vt inde timor, & obedientia maxima oriretur in populo, cum ſine timore populus non obediat, nec verbis, ſuaſionibus, legibus, aut virtute, ſed timore, & pęna ſolum moueatur; & ideo dixit Ariſt. lib. 10. Eth. *Non eſt poſſibile vulgum, & multitudinem ad probitatem, & virtutes incitare ſolis verbis, & ſuaſionibus; non enim pudori, ſed timori obediunt, nec ab malis ob dedecus, ſed ob pęnam abſtinent, cum ex affectu viuant, virtutem autem nunquam deguſtauerint; tales autem ad moderationem traducere quæ oratio poſſet?* Quoniam autem Quarantena præcipuè populum, & plebem complectebatur, (quia Contagium plebem, pauperesq́; populabatur) ideò meritò Senatoribus illis magna fuit data poteſtas, vt ſicuti pęna timorem, ſic timor obedientiam pareret, & ſic omnia agenda rectè agerentur.

88 In vnoquoq; etiam Sexterio triginta viros nobiles elegit.

Non ſolum vnicuiq́; Sexterio Senatorem vnum, ſed etiam triginta viros nobiles præfecit, quibus ſimiliter authoritas magna data fuit: officium iſtorũ nobiliũ virorũ inferius dicetur.

89 Et vnicuiq; viro nobili quinquaginta domus alendas diſtribuit.

Offi-

Officium triginta virorum nobilium erat, vt vnusquisq; quinquaginta domus alendas sub se haberet; cur autem, & quomodo tot domus, & cur aliquę sic, aliquæ non alerentur, inferius suo loco dicemus.

90 *Unicuiq; autem domui viri nobiles alimenta quotidie ministrabant.*

Serenissimi Ferdinandi sumptibus domus illæ omnes nutriebantur, singulisq; diebus alimentum illis ministrabatur, quod officium nobilibus illis viris demandatum erat, at quia officium illud laboriosum erat, & virum nobilem non decebat, ideò nonnulli alij ministri mercenarij (presentibus semper viris illis nobilibus) alimenta omnia domibus subministrabant; viri autem illi nobiles, sicuti & Senatores mercenarij nullo modo erant, sed more nobilium gratissimè suo fungebantur officio, sicut alias dictum est.

91 *Omnes domus tàm nobilium, & diuitum, quàm ignobilium, & pauperum clausæ erant.*

Prosequitur Historicus ordinem Quarantenæ, & ait, quod tunc temporis totius Ciuitatis domus, siue nobilium, & diuitum, siue ignobilium, & pauperum clausę omnes erant, itaut nemo ex illis egredi, nemoq; illas ingredi poterat;

terat;

terat; pęna autem magna ingredientibus, & egredientibus imposita erat, quæ mortem ipsam in se continebat.

92 *Et sicut ex illis vnus, sic ex istis nullus exire poterat.*

Pauperes quotidie ab viris illis nobilibus alimentum bonum, & copiosum accipientes poterant semper in domibus suis permanere, nec opus illis erat, vt aliquis è domo ad emendum, comparandumq; aliquid exiret. Nobiles, & diuites nihil inde accipientes, & multis tùm necessarijs, tùm vtilibus assiduè egẽtes habebant opus, vt aliquis è domo exiret, qui necessitati, vtilitatiq; ipsorum inseruiret; & ideò vnus solus è domu diuitum, & nobilium exire poterat siue ille esset Dominus, siue seruus, siue alius quiuis in domu illa inhabitans.

93 *Vnus autem ille neq; mulier, neq; puer esse debebat.*

Agebatur Quarantena, vt Contagium, morbiq; contagiosi penitus delerentur, cum quadragenarius dies sit omnium acutorum morborum decretorius, naturaq; in illo dierum numero morbos omnes acutos iudicet, vt dictum fuit. Quoniam autem corpora humidiora, molliora, & rariora, (vt sunt corpora mulierum,

rum, & puerorũ) facilius contagium recipiunt, conseruant, & in aliena corpora diffundunt, ideò mulieres, & pueri è domibus egredi non poterant, quicumquè autem egredi poterat, vnus solus erat, & ille adultus esse debebat.

94 *Ingredi nemini licebat, nisi necessariò.*

Sicut egredi vnus solus ob necessitatem, sic ingredi nisi necessariò poterat nemo, vt obstetrix, Medicus, Sacerdos, aut alij similes, vt sic commercium, & contactus corporum tolleretur, quo posito ponitur, & quo ablato aufertur contagium.

95 *Et sicut ditibus nullum, sic pauperibus copiosum alimentum dabatur.*

Diuites alieno alimento non egebant, & ideò à viris illis nobilibus nihil accipiebant; pauperes autem, qui arte, & industria alimentum sibi antea quærebant, alimento egebant, cum in domibus clausi essent, nec victum sibi aliunde comparare poterant; & ideo domibus pauperum alimentum solum dabatur, quod quidem erat bonum, & copiosum, quia sic Serenissimi Ferdinandi magnanimitas, & pietas ferebant.

96 *Alimentum erat Panis, Vinum, Caro, Oryza, Caseum; Item, Oleum, Acetum, Sal, Ligna, Carbones,*

& alia tùm necessaria, tùm vtilia, abundanter tamen omnia.

Dum Lazzarectorum diuersitatem superius explicauimus, diuersitatem etiam diętę illorum declarauimus, dicentes, quod alia erat diæta ægrotantium, alia conualescentium, alia sanorum, alia suspectorum, alia quarantenam agentium; nunc diæta clausorum explicatur, quæ quidem erat sicut diæta sanorum, alimentum enim, quod illis dabatur, erat Panis triticeus bonus, Vinum bonum, Caro, Oryza, & Caseum, quod quidem alimentum est boni succi, valdè nutriens, valdè sapidum, & suaue, maximè autem quia abundanter illis dabatur. Dabatur etiam illis Oleum, & Sal gratia condimenti, cum Oleum, & Sal sint condimentum, & non cibus, licet Oleum certè nutriat, quia temperatum est in calido, & humido, & ideo Oleum impinguat hepar, & illius substantiam auget; immò oleum à tota sua substantia est homini valdè conueniens, vnde omnis res cocta in Oleo est multum nutritiua, & omnis ferè cibus coquitur in Oleo, aut cum Oleo, & hoc, quia est simile nostræ naturæ, cum sit in calido, & humido temperatum, vt docet Auerr. lib. 5, Collig. Salis autem, & Aceti nunc

dicere

dicere laudes, nimis longum, nimiſq; ab inſtituto noſtro alienum eſſet; & ideo ſatis ſit dixiſſe, quod vt condimenta clauſis pauperibus dabantur. Ligna, & Carbones ſimiliter dabantur illis tùm ad coquendum alimentum, tùm ad ſemetipſos excalefaciendos, cum hyems eſſet, & valdè frigida. Alia tùm neceſſaria, tùm vtilia copiosè illis subministrabantur, vt dicit Hiſtoria. Quæret aliquis, cur Panis triticeus eſt adeò naturæ noſtræ amicus, & ita omnibus placet, vt nullus ſit homo, cui non placet Panis? Id, quod de alijs cibis dici non poteſt, immo plus placet Panis, quàm omnes alij cibi, licet ſint ſuauiores, cum cibi ſuauiores magis faſtidium afferant, quàm Panis ipſe, licet ſit minus ſuauis. Additur, quod nullus cibus ſine Pane ſuauis eſt, nec benè digeritur, itaut Panis ſit ſocius, & complementum aliorum ciborum. Reſpondemus cum Ariſt. in Probl. Panis triticeus à natura deputatus fuit homini pro cibo proprio; & ideo homo illum ſemper appetit, nec ab eo faſtidium capit, & hoc ob ordinem naturæ, quæ dedit homini hunc cibum illi familiariſſimum, & à tota ſubſtantia, proprietateq; occulta ſuauiſſimum. Alij cibi licet ſint ſuauiores, faſtidium tamen mouent, quia

non ſunt illi ſecundum naturam deſtinati, & ideo non ſemper placent. Quoniam autem catenatæ ſunt, vt plurimum difficultates, & vna aliam trahit, iterum quæret, cur Vinum generoſum eſt adeò cordiale, & noſtræ naturæ amicum? Reſpondemus cum Auic. lib. de Medicinis cordialibus, quod ſpiritus vini generoſi ſunt ſimillimi omninò ſpiritibus vitalibus ipſius cordis, qui ſpiritus vitales de ſui natura ſunt nobiliſſimæ complexionis, & ſubſtantiæ, maximeq; luciditatis, & ſplendoris, (nam cor ipſum, cum ſit viſcum nobiliſſimum, nobiliſſimo eget ſpiritu ad ſuas operationes) & ideo nobiliſſima eſt ſubſtantia ſpiritus vitalis, nam lucidiſſimus eſt, & ſubſtantiæ cęleſti, radijſquè ſolaribus ſimillimus; & hinc eſt, quod Sol, & radij ſolares nos valdè delectant; & pueruli etiam rident cum Solem aſpiciunt; Sol enim, & radij ſolares ſunt ſpiritibus vitalibus per quàm ſimillimi: Si igitur vini generoſi ſpiritus ſunt ſpiritibus vitalibus ſimillimi, & omne ſimile gaudet, & vim acquirit ab ſuo ſimili, certè cor ipſum gaudet Vino, illo corroboratur, & ab illo ſolo ſine alia cauſa vim, ſpem, fortitudinem, & gaudium magnum adipiſcitur, vnde ebrij, & conuiuati omnia pericula ſubeunt,

ab Vino facti fortes, & intrepidi, Iterum quęret, vtrum cibus, & potus ſapidus ſit omnibus hominibus cum ſanis, tùm ęgrotis ab Medico ſemper concedendus? Reſpondemus, quod omnibus eſt ſemper concedendus, ratio autem eſt, quia cibus, & potus ſapidus maximè omnium nutrit, & quò plus ſapit, eò etiam melior eſt, melius enim coquitur, magiſq; nutrit, nam, vt ait Auic. lib. 1. *Stomachus, & virtus retentiua vehementer cibo ſapido, & ſuaui applicantur, & omnia membra principalia ſecundum complexionem ſuam ſunt cibo illi ſimillima;* ratione enim ſimilitudinis fit cibi ſuauitas in corporibus ſanis, in ęgrotis autem fit ratione contrarietatis. Notandum eſt, quod cibus triplex eſt, aut enim eſt ſimilis, aut diſſimilis, aut contrarius corpori nutriendo; cibus quidem ſimilis ſapit ob ſimilitudinem; diſſimilis nō ſapit ob diſſimilitudinem; contrarium autem ſapit ob medelam, & ſicut corpus ſanum gaudet ſuo ſimili, ſic ægrotum ſuo contrario; at cibus diſſimilis neq; ſano, neq; ægroto ſapidus eſt, quia eſt ab vtroq; diuerſus; & ideo cibus diſſimilis fit ſapidus condimento, aut coctione, aut vtroq; cùm per condimentum, & coctionem naturæ, & corporis temperamento ſimilis fiat, vnde poſtea ſuauis,

& sapidus est. Sed oritur dubitatio, cur ex cibo dissimili, qui nec sapit, nec est edendo, & ex condimento dissimili, quod nec sapit, nec est edendo fit cibus suauis, & sapidus, qui est edendo? Respondemus cum Galen. quia ex duobus immoderatis simul coeuntibus fit vnũ mixtum moderatum, quod sapit, & dulce est, ratio autem patet, nam cibus, & condimentum sunt semper contraria, & inuicem agendo, & patiendo corriguntur, rediguntúrq; ad temperamentum quoddam tertium, quod dulce, & sapidum est; itaut ex duobus dissimilibus, & insuauibus fit vnum simile, & suaue, sicut accidit, quandò ex duobus vitijs fit vna virtus, nam vt ait Arist. lib. 7. Ethic. *Imprudentia cum incontinentia virtus est*. Cibus igitur dissimilis sine condimento, aut coctione, nequè sanis, nequè ęgrotis placet, & natura illum abhorret, ab virtute membrorum repudiatur, non retinetur, non digeritur, fastidium parit, & ventriculi temperamentum lędit, vnde fit cibi corruptio; & ideo dicebat Auic. *Cibi horribiles facillimè putrescunt, quia non digeruntur*. Notandum etiam est, quod similitudo prouenit ratione primarum qualitatum corpori similium, vt calidi, frigidi, humidi, & sicci in corpore sano, con-

tra-

trariarum autem in ægroto; aut ratione secundarum, & tertiarum qualitatum, vt ratione saporis, siue corpus sit sanum, siue ægrotum; aut ratione materię ipsius cibi, vt oua sorbilia, Vinum, Caro, & similia; aut ab tota substantia, vt Panis, qui facultate occulta omnibus placet, vt dictum fuit, sicuti etiam aliquandò aliquis cibus omni ratione probus, tamen à tota substantia alicui homini non placet, licet alios homines summopere delectet, datur enim aliquando cibus, qui multis est suauissimus, vni autem homini est abominabilis; & hinc patet, quod vnaquęq; natura, & complexio hominis proprium sibi cibum requirit; & sunt quidam hominum, quibus nocet nutrimentum bonũ, & quibus iuuat nutrimentum malum, bonum autem non digerunt, nec illis placet; at sicut illi debent cibum illum derelinquere licet bonus sit, quia nocet, sic isti illum abominare debent licet iuuet, & sapiat, & digeratur, nam si nõ nocet nunc, nocebit in dies, & in futurum. Similitudo etiam est, aut cum stomacho, aut hepate, aut alijs visceribus; si cibus est similis cum stomacho, hepate, alijsq; visceribus omnibus, omnesq; habet quatuor similitudines enarratas, tunc cibus est vndequaq; sapidus;

si est

ſi eſt ſimilis cum ſtomacho, & hepate in vna, aut duabus, aut pluribus, aut paucioribus conuenientijs, tunc cibus eſt magis, aut minus ſuauis, & tunc magis, aut minus digeritur; ſi cibus eſt ſimilis cum ſtomacho, non autem cum hepate, tunc cibus eſt ſapidus, at non digeritur, & nocuus eſt licet ſit ſuauis in principio, poſtea enim nocuus eſt ob diſſimilitudinem ſtomaci, & hepatis, vt Auic. docet. Et hinc eſt, quod cibus aliquando ſapit, attamen nocet, & iſte cibus licet ſapidus non eſt concedendus, ſicut ſemper concedendus eſt cibus ſapidus, qui ſimilitudines omnes allatas in ſe continet, cum ille ſit optimus cibus, nec vnquam nocere poſſit, niſi in hoc vno, nempè, ſiquis comedat nimis, & ideo dixit Auic. *Cibus bonus, & ſapidus, & nutriens hoc ſolum impedimenti ſecum portare videtur, quod poſſibile eſt, vt homo ex eo multum comedat, cętera laudabilis eſt*. Iterum quæret, cum detur cibus bonus quo ad materiam non ſapidus, & detur cibus ſapidus quo ad materiam non bonus, quiſnam eſt eligendus? Reſpondemus cum Hipp. quod cibus ſapidus licet deterior ſemper eſt præferendus inſipido licet meliori, nam ille melius digeritur, cum ſtomachus illum melius amplectatur, & in me-

liorem

liorem conuertat, non quidem ob bonam suam substantiam, sed ob suauitatem, vnde melius concoquitur, quàm cibus melior, sed insuauis; ille enim ob magnam digestionem, iste autem ob maiorem materiæ dispositioně, & bonam substantiam digeritur; & sicut ille melius digeritur, sic etiam melior cibus erit; vnde bene dixit Hipp. lib. 2. Aph. *Paulo peior, sed suauior cibus, & potus meliori, & insuauiori est præferendus.* Iterum quæret, si cibus sapidus semper est concedendus tùm sanis, tùm ęgrotis corporibus, cur Medici non semper concedunt ęgrotis quę appetunt, cum contraria morbo appetant? Respondemus, contraria sunt duplica, aut enim sunt contraria secundum formam, aut secundum materiam, idest, aut sunt contraria accidentibus, & effectui morbi; aut sunt contraria causę, & materię ipsius morbi; si appetita sapida sunt contraria accidentibus, & effectui morbi, à Medico concedi possunt, at non sequitur inde sanatio, cum non respiciant materiam, causamquè morbificam, quas tollere Medicus debet ad hoc, vt fiat sanatio: Si verò illa sint contraria non solum secundum formam, sed etiam secundum materiam, tunc liberè concedenda sunt, cum respi-

ciant materiam, causamq; morbificã; aliquando enim appetuntur cõtraria, quę sunt eiusdem conditionis, idest, sunt contraria secundum formam, & materiam morbi; sed quia ægroti, vt plurimum, appetunt contraria secundum formam, & nõ secundum materiam, ideò Medici ægrotis appetita negant, cum ab illis concessis potius augeatur morbus, & causa morbi, licet quoad formam concedi possent. Iterum dicet, si cibus sapidus dandus est ægrotis, quia contrarius est morbo, igitur fęminis picatione laborantibus concedenda erunt illa praua cibaria ab ipsis tantopere appetita, vt Terra, Carbones, Cinis, & similia. Respondemus, vt supra, nempè, quod si praua illa cibaria considerentur quoad formam, primasq; qualitates, sunt quidem concedenda, non autem quo ad materiam, & ratio est, quia forma, & primę qualitates sunt causa, vt illa praua cibaria appetantur, & sapiant, cum sint contraria morbo, & sic concedi possunt; sed quia illa forma, primeq; qualitates sunt coniunctæ cum praua materia, coctioniq; inepta, ideò concedenda non sunt: Quod si forma, & materia similes sint, & homogeneæ, tunc danda quidem essent, cum suauitas non ab forma, primisq; qualitatibus

litatibus ſolum, ſed ab materia etiam pendere debeat, vt dictum eſt. Iterum dicet, calor naturalis improbus omnia vincit, & eſt potentior ipſo igne, cum aliqui ſint cibi, qui ab igne nunquam, ab ſtomacho autem, & calore naturali facillimè concoquuntur; exemplum ſit Strutio animal, quod quidem aurum, & ferrum ingeſtum concoquit, quæ ab igne non coquuntur; ſi igitur calor naturalis eſt adeò validus, vt ab igne inſuperabilia ſuperet, ad quod tot conditiones in cibo deſcribere? Reſpondemus, quod calor naturalis nullo pacto eſt igne potentior, & ſi Structio animal aurum, & ferrum digerit, non idcircò calor naturalis in ſtomacho illius eſt ipſo igne validior, digerit enim illa Structio proprietate occulta ob ſympathiam, quam ſtomachus illius ad aurum, & ferrum habet; ſicut etiam euenit in cibis aliorum animalium, quorum ciborum vnus ab vno animali ſemper, ab alio animali nunquam digeritur, & hoc fit ob ſympathiam, & proportionem cibi ad ſtomachum, & ſtomaci ad cibum, quę ſympathia, & proportio eſt ab ipſa natura ſic inſtituta. Non eſt igitur calor naturalis in ſtomacho ſtructionis potentior ipſo igno, immo eſt fortaſſe debilior calore naturali

multorum animalium, quæ aurum, & ferrum non digerunt, licet calore naturali validiori, quàm Structio sint predita, & hoc, quia sympathiam illam, proportionemq; non habent, vt lib. 5. Collig. ait Auerr. Ex superius dictis sanciatur ista lex, & axioma omnibus Medicis, cibus, & potus sapidus (seruatis seruandis superius allatis) tùm sanis, tùm ægrotis semper est cõcedendus; Medicus autem ille, qui ęgrotis sapida negat, contra dignitatem, & ordinem naturæ agit: Natura enim dedit animantibus omnibus sensum ghustus, vt cum illo alimentum bonum à malo, & conueniens ab inconuenienti discernerent: Dedit etiam natura saporem cibis, & potibus, vt per illum similiter alimentum bonum à malo, & conueniens ab inconuenienti diiudicarent; at sicut ex conuenientia nascitur suauitas, sic ex suauitate pendet nutritio, nec potest sapidus cibus non nutrire, ratio autem est, quia semper appetitus est proprij obiecti, & ab obiecto proprio sedatur, at sedatur sapido cibo; sapidus igitur cibus est proprium appetitus obiectum, & illum sedat, quia nutrit; quod si verum hoc non esset, frustra esset ordo naturæ, quæ ab suauitate, & in suauitate saporum cibum bonum, & conue-

nientem

nientem ab inconuenienti, & malo cognoſci, iudicariq; voluit.

97 *Exultabant pauperi clauſi, quia in carceribus, vt liberi.*

Scribit Ariſt. lib 2. Polit. & lib. 1. Metaph. quod homo liber ille eſt, qui viuit ſibi ipſi, nec eſt alterius gratia; ſicut homo ſeruus eſt ille, qui cum ſit homo, eſt tamen homo ad alium, & eſt alterius gratia, & ideò Deus ſummè liber eſt, quia eſt ad ſe ipſum ſolum, & nunquam alterius gratia, cum nihilo indigeat. Itaq; ſi pauperes clauſi exultabant, ſummo iure exultabant, licet enim domus illis eſſent tanquam carceres, in carceribus tamen viuebant, vt liberi, quia nullo indigebant, cum omnia illis copioſè ſubminiſtrarentur. Ad ſe ipſos etiam viuebant, nam (vigente Quarantena) non ſolum ipſi non erant ad alium, immo alij erant ad illos, cum illorum gratia omnia agerentur, & non gratia alterius, vt ſerui, ſed ſui gratia, vt liberi, vitam degebant.

98 *In paupertate, vt diuites.*

Duo ſunt quidem onera, quæ omnium grauiſſima putantur, ſenectus, & paupertas, licet paupertas ſit ſenectute grauior, nam ſenectus eſt ſecundum naturam, & omnes illam adipi-

ſci

ſci cupiunt, licet adeptam accuſent. Senectus etiam bona multa in ſe continet, multaq; beneficia ſecum affert, vt l b. de Senectute ſcribit Cicero. Paupertas autem eſt præter naturam, omnibus odioſa, & mala omnia tùm corpori, tùm animæ ſemper adducit. Paupertas eſt adeò graue pondus, vt dixerit Poeta, *Ad fugiendam paupertatem licet ſe proijcere in mari*; ratio autem eſt, quia *miſerrimum eſt fame perire*, vt Plato ait. Et quàm vis vita nihil ſit dulcius, morteq; nihil horribilius, homines tamen potius mortem, quàm paupertatem eligeret, cum moleſtiſſima ſit pauperum vita, vt optimè norunt, qui paupertatem magnam experiũtur, aut experti ſunt. Inter multa bona externa numerantur diuitiæ, quæ poſt ſanitatem primum locum habent, & ab omnibus ſummoperè expetuntur, immò poſt Deum (propè diximus) adorantur; vnde *diuitijs obediunt omnia*; & ideò dixit Ariſt. *Sine bonis exterioribus* (quorum vnum ſunt diuitiæ) *nemo poteſt eſſe felix, nam felix nullo indiget*. Non ſolum autem corpori, ſed animæ etiam beneficia maxima conferre poſſunt diuitiæ; vnde Hipp. lib. de Aere, Aquis, & Locis ait, *Diuites ſunt Dijs gratiores, quàm pauperes, pauperes enim ſunt circa cultum Diuinum negligentiores, quàm diuites,*

uites, qui ſæpius Dijs ſacra faciunt, victimas offerunt, ſtatuas erigunt, & colunt, & hoc, quia pecunijs abundant. Pauperes autem hæc non faciunt cum non habeant, & ideò Dij diuitibus magis beneficia retribuunt. Et hinc fuit, quod pauperes clauſi, cum prius paupertatem, & poſtea in Quarantena diuitias (vt ita dicamus) experti fuiſſent, exultabant, lętiq; erant, nam tunc temporis nutriebantur, vt diuites, cum ab viris illis nobilibus quotidie, copioſeq; alerentur.

99 In ignobilitate, vt nobiles viuebant.

Nobilitatis magnum eſt ſignum ſeruos habere nobiles, & ideò dixit Ariſt. in Polit. *Semper melius imperium meliorum parentium eſt, ſeu hominis, quàm beſtiæ, nam quod à melioribus perficitur, melius eſt opus.* Nobiles erant viri illi, qui pauperibus alimenta ſuggerebant, non ſolum autem nobiles erant, ſed etiam ingenui, & omni humanitate, benignitateq; referti, vnde benignè, humaniterq; circa pauperes ita ſe gerebant, ac ſi ſerui illorum eſſent; & ideò pauperes clauſi ignobiles in temporaria illa nobilitate viuebant vt nobiles, cum ſeruos haberent nobiles, vnde lęti, & gaudentes erant.

100 Regia potius, quàm pulitica Quarantena erat.

Scri-

Scribit Historicus, quod Quarantena illa potius Regia, quàm politica erat, licet enim politicam in se contineat Regia, & Ciuitatis, ciuiumq; politiam amplectetur, attamen dignitatem, maiestatemquè maiorem significat; & quamuis omni magnificentiæ, honoris, splendoris q; genere Quarantena ageretur, tamen quia propriam etiam personam Serenissimi Ferdinandi aliquo pacto continebat, ideò Regia potius, quàm politica appellari debebat; ille enim, vt omnia optimè fierent, Ciuitatem sæpè perlustrabat, vnde Quarantenam honorabat, & illam digniorem reddebat.

101 *Serenissimus Ferdinandus æmulus Auroræ.*

Inter innumeras Serenissimi Ferdinandi laudes illa etiam numerari debet, quod ipse est vigilantissimus, & summo mane cum Aurora, quasi æmulus, & imitator illius non solum tempore Quarantenę, sed ab ipsa pueritia semper consurgit, & hoc duplici causa, prima, vt multa, & grauia illius negocia citius adimpleantur, totaq; Hetrutia facilius gubernetur, nam, vt ait Esiodus,

Aurora tibi tertiam operis partem auget,
Aurora etiam iter producit, & opus,
Aurora apparens multos deducit in viam

Homi-

Homines, & multis iuga bobus super imponit.
Secunda, vt sanitatem tueatur, qua vt certius fruatur, continentiam, & exercitium cum vigilantia ita coniunxit, vt sicut funiculus triplex difficilè rumpitur, sic illius sanitas cum vigilantia, continentia, & exercitio simul colligata difficilè lędi possit, Hipp. præceptum seruans, quod lib. 6. Epid. ait, *Studium sanitatis non satietas, non pigritia.* Continentia est virtus circa corporis voluptates, & dolores, vt scribit Arist. in Eth. quæ quidem virtus in Serenissimo Ferdinando maximè lucet, cum circa cibum, & potum adeò continens sit, vt nunquam ad satietatem comedat, & bibat, sed tantum comedit, & bibit, quantum sola vita requirit, & virtus postulat; nec cibum sumit nisi post desiderium certum, *Cum nihil sit deterius, quàm mittere nutriens super aliud nutriens, quod non sit digestum; nec cibo ita repletur, vt non sit ibi locus superfluo reliquijs desiderij adhuc in anima remanentibus*, sicut monet Auic. Cibi, & potus quantitas ab nullo Medico præscribi potest, sed sola natura illam nos docet, nam si corpus sanum est, natura tantum appetit, quantum coquere potest, tantum autem coquit, quantum appetit, cum appetentia coctioni respondeat. Simi-

liter dicendum est de somno, natura enim in corpore sano somni terminum præfinit, & tunc cessat somnus, quandò corpus illo non amplius eget, vt Gal. ait: Quod si corpus non sit sanum, tunc natura plus, aut minus appetit, quàm coquere possit, & plus, aut minus corpus dormit, quàm opus habeat; vnde plus, aut minus appetere, quàm concoqui possit, & plus, aut minus dormire, quàm sit opus, sunt morbi signum. Serenissimus Ferdinandus continens dici debet, quia tantum sumit, quantum appetit, & tantum appetit, quantum coquere potest neglecta penitus voluptate, & satietate sanitatem solam, virtutemq; respiciens. Exercitio etiam sanitati necessariò vtitur, & illo quidem opportuno, temperato, & optimo, istud enim valdè iuuat, sicut importunum, nimis forte, vel nimis debile valdè nocet. Exercitium optimum est, quando corpus exercetur, & anima simul oblectatur. & ideo multi sola voluptuosa exercitatione à morbo liberati sunt, vt Galen. docet. Exercitium etiam optimum est, quandò omnes corporis partes mouentur, & quandò ad libitum augeri, vel minui, & quandò ad libitum magis vna, quàm alia pars moueri potest, at non omnes partes simul moueri de-

bent, nam vna quiescere, alia autem moueri debet, itaut dum vna quiescit, alia moueatur, & dum vna moueatur, alia quiescat, vnde omnes corporis partes moueantur, & quiescant, at non omnes simul moueantur, & quiescant. Tale exercitium est ludus paruæ pilæ, venatio, equitatio, & similia, & ideò antiquitus leges iubebant, vt Imperatores, & Duces attenti essent voluptuosæ exercitationi, & gloriæ cupiditati coniunctæ, vt est venatio, equitatio, & ludus paruæ pilę, nam sicut faciunt ad sanitatem corporis, sic & ad prudentiam, discunt enim insidiari, obcupare, obcupata tueri, & alia huiusmodi. Ludus paruæ pilæ est exercitium laudabile, & viri clarissimi illo semper delectati sunt, cum sit exercitatio propria virorum nobilium, & Alexander Magnus illo valdè delectabatur, vt scribunt nonnulli. Summè laudabilis est etiam ludus ille Florentiæ adeò frequens, & consuetus pillularum lignearum, vulgò dictus, *Gioco delle pallottole*, qui quidem ludus omnes conditiones superius allatas in se continet. Exercitium non solum est ipsius corporis, sed est etiam ipsius animæ, & illud nihil aliud est, nisi cogitatio, & discursus, qui quidem est animę, sicut est corpori motus; & ideo dixit Hipp.

lib. 6. Epid. *Animę deambulatio cogitatio hominibus.* His omnibus exercitijs vtitur Sereniſſimus Ferdinandus, illiſq; delectatur. Dubitari poteſt, an exercitium conueniat etiam corporibus ſanis? Reſpondemus cum Ariſt. lib. 2. de Cęlo, quod corpora ſunt triplicia, aut enim ſunt omnino ſana, nihilq; recedunt ab optimo temperamento, aut parum recedunt, aut multum recedunt; corpora, quæ nihil recedunt, nullo egent exercitio, cum ſint optimo temperamento prædita; quæ parum recedunt, paruo etiam egent exercitio; quæ multum recedunt, multo etiam indigent exercitio. Sunt autem aliqua corpora ab optimo temperamento adeò remota, vt nullum illis exercitium conueniat, immo potius illis noceret, cum alio remedio indigeāt, vt euacuatione, aut alio maiori remedio, vt ibi Ariſt. docet. Dubitari etiam poteſt, cur exercitium calorem naturalem auget, medicamenta autem calida à Medicis exhibita calorem naturalem in ęgris non augent? Reſpondemus, quod exercitium eſt optimum, quia calorem naturalem, ſpirituſq; naturales auget; ſpiritus autem, & calor naturalis auctus ſunt eiuſdem ſpeciei cum primo calore, primiſq; ſpiritibus naturalibus, quiquidem aucti perfectiores red-

dunt omnes suas operationes; at calor medicamentorum est corpori aduentitius, nec calori naturali similis, nec eiusdem speciei cum illo, vnde non iuuat, immo nocet, vt ipsa experientia docet, nam Medici suis medicamentis calidis corpora adurunt, calorem autem naturalem non augent, neq; conseruant, sed manifestè diminuunt.

102 *Seruato decoro equitando sæpe totam Ciuitatem perlustrabat.*

Decorum est, vt ait Cicero, quod consentaneum sit hominis excellentiæ in eo, in quo natura illius ab reliquis differat; dicitur autem decorum ab eo, quod decet. Serenissimus Ferdinandus decorum seruabat, nam omnes illius actiones excellentiam, & maiestatem suam decebant, & dum equitando tùm sanitatis, tùm dignitatis gratia totam Ciuitatem, omniumq; actiones perlustrabat, decorum suum seruabat, non enim clausis pauperibus, vt instrumentum seruiendo, sed vt prima causa, & primus author Quarantenæ Illustrissimis Senatoribus, alijsq; viris nobilibus iubendo imperabat, & eminentissimè nihil agens omnia peragi dabat, & illius imperio omnia nobiliter agebantur.

103 *Et illo prætereunte resonabat laudibus æther,*

ite-

iteratisq; laudibus pauperes clausi ad Cęlum vsq; illum efferebant.

Omne laudabile ideo laudatur, quia qualitate aliqua præditum est, & ad aliquid refertur, quod verè bonum, & honestum sit, sicut sunt virtutes, quæ ob actiones, & opera bona laudari solent; sicuti etiam sunt viri boni, qui ob virtutes, bonasq; illorum actiones laudantur, nam *Virtutis est laus*, vt scribit Arist. in Eth. Laudabilis summopere est Serenissimus Ferdinandus, cum sit nō solum bonus vir, sed etiam optimus Princeps, omnibus virtutibus, optimisq; actionibus insignitus; & hinc fuit, quod pauperes clausi (ne ingrati viuerēt) pretereuntem illum laudabant, multiplicatisquè, nedum iteratis laudibus, vocibus altis nomen illius ad Cęlum vsq; adeo efferebant, vt totus aer laudibus illius resonabat.

104 Et illi salutem præcantes, valdeq; clamantes dicebant, valeat, valeat, viuat, viuat Serenissimus Ferdinandus.

Pauperes clausi non solum summis laudibus prætereuntem illum ad Cęlum vsq; ferebant, sed quia laudes illæ meritis suis erant longe minores, ideo laudum defectum compensantes salutem illi à Deo precabantur, & vt sani ta-

tem,

tem, vitamq; longęuam consequeretur, magnis clamoribus dicebant, viuat, viuat, valeat, valeat.

101 Rustica Quarantena fuit etiam concelebrata.

Cum politicam Quarantenam satis plenè Historicus descripserit, nunc rusticam etiam simul concelebratam scribit, sed ita quidem breuiter, vt vix illam aggredi videatur, quinimmo culpandus est, nam, aut defecit in necessarijs, aut abundauit in superfluis, aut obliuiosus fuit, cum enim superius dixisset, quod duplex fuit instituta Quarantena, altera politica, altera sacra, cur rusticæ non meminit, si celebranda erat? Cur etiam meminit sacræ, & non describit illam? Respondemus, meminit sacrę, quia concelebrata fuit, non describit illam, quia rerum sacrarum descriptio superat captum illius. Non meminit rusticæ, quia politicæ meminit, quæ rusticam in se continet, cum rustica sit pars politicæ. Quod autem politica rusticam in se contineat, patet, nam scribit Arist. lib. 7. Polit. *Rustici sunt pars Ciuitatis, & sine rusticis non potest esse benè instituta Ciuitas*, & numerando partes, quibus Ciuitas constare debet, *sex illas esse asserit, agricolas, artifices, milites, diuites, Sacerdotes præcipuè,*

& Iu-

& Iudices, sine quibus non potest esse benè constituta Ciuitas, cum sint Ciuitati necessariæ. Cum igitur rustici sint pars Ciuitatis, & politica omnes Ciuitatis partes in se contineat, ideò Historicus politicam solum nominans rusticam etiam simul nominauit, & amplexus est. Quoniam autem politica ciuilis descripta fuerat, politicam rusticam etiam scribere decens erat.

106 *In qua prædium colentes in prædio, operarij in terminis ducentoruum passuum à domu propria clausi erant.*

Diximus cum Arist. in politicis, quod rustici sunt pars necessaria Ciuitati, cum sine illis nulla possit esse benè instituta Ciuitas, necessitas autem est ob alimenta, si ergo rustici sunt pars Ciuitatis necessaria, (quia sine alimento Ciuitas esse non potest) rationabiliter Sanitatis Præsides statuerunt, vt rustici prædium colentes in ipso prædio clausi essent, nam si in proprijs domibus in Quarãtena ciuili rustici clausi fuissent, nec prædium colere, nec alimenta Ciuitati conferre potuissent, vnde Ciuitas insufficiens sibi fuisset; at in prædijs clausi vtrumq; præstare poterant. Operariorum est eadem ratio, cum sint agricolæ, & prædij colentium coadiutores.

107 *Vnus*

107 *Unus exire poterat, sed neq; mulier, neq; puer; ingredi autem nullus nisi necessariò.*

Sicut omnia noua placent, sic omnia vetera fastidiunt, vt est in prouerbio. Verba ista in Quarantena politica satis explicata fuerunt, & ideo fastidium illorum euitantes, & vt vetera omitentes illud potius quæramus, cur omnia noua placent, vetera autem fastidiunt? Respondemus, quod finis, & perfectio ipsius intellectus sunt ipsum intelligere; & intellectus, dum intelligit, voluptatem habet, quia finem, & perfectionem suam acquirit, vnde voluptas; hoc autem fit, quandò intellectus noua intelligit, circa quę intensè operatur, vt perficiatur, intensam illam operationem intensa sequitur voluptas, voluptas autem intensa perficit operationem: Sed quandò intellectus vetera considerat, tunc nihil de nouo intelligit, nec intensè operatur, nec vllam voluptatem, nec perfectionem acquirit, cum iam iam prius illa intellexerit, & voluptatem, perfectionemq; in principio susceperit, & ideo quandò intellectus nihil de nouo, sed vetera solum intelligit, non solum voluptatem, & perfectionem adipiscitur nullam, immo fastidium recipit inde, nam *omnia, quæ vno, & eodem modo semper se habent,*

generant fastidium, vt aït Arist. Noua itaq; cum sint finis, & perfectio intellectus, delectant, siue bona, siue mala sint, cum tàm scientia boni, quàm scientia mali sit finis, & perfectio ipsius intellectus, vt vtraq; scientia intellectui suauis sit, quia vtraq; illum perficit, & ille ad vtramq; æquè se habet, nec dici debet scientia mala, quia sit scientia mali, nec scientia bona, quia sit scientia boni, vtraq; enim bona est, quia vtraq; est finis, & perfectio intellectus, qui ab vtraq; voluptatem, & perfectionem æquè accipit. Voluntas est, quæ bona, aut mala dici meretur, nam si vult bonum, dicitur bona voluntas, si vult malum, dicitur mala voluntas. Differunt igitur intellectus, & voluntas, nam intellectus nunquam dicitur malus etiam si malum intelligat, voluntas sola dicitur mala, quandò malum vult.

108 Alimentum dabatur operarijs tantum, & erat Panis triticeus.

In Politica Quarantena tàm nobiles, & diuites, quàm ignobiles, & pauperes proprijs in domibus clausi erant, & sicut illis alimentum nullum, sic istis multiplex dabatur, vt dictum fuit. In rustica Quarantena tàm colentes prædium, quàm operarij clausi erant, & sicut illis

nullum,

nullum, sic istis alimentum simplex dabatur, quod erat Panis triticeus solus; Panis autem solus erat, quia solo Pane nutriri operari consueti sunt, tanquam illis à natura institutus, & ideo paruo illo cibo vescuntur, illiquè assueti sunt; vnde Virg. in Georg. cecinit,

Et patiens operum, paruoq; assueta iuuentus.

Assueti sunt rustici solo Pane nutriri, quia, vt dictum fuit, solus Panis est cibus proprius hominis, illiq; à natura destinatus, & ideo rustici solò Pane vescuntur, quia secundum ordinem naturæ viuunt; vnde Seneca dixit, *Panem, & Aquam natura nostra desiderat, & nemo ad hæc pauper est, interquæ quis quis desiderium suum claudit, cum ipso Joue de felicitate contendit*, & addit, *Parabile est quod natura desiderat, natura enim est paucis contenta.*

109 *Ab viris nobilibus similiter distributus,*

Si in Quarantena politica viri nobiles alimentum illud multiplex pauperibus clausis distribuebant, multo magis in rustica viri nobiles alimentum simplex rusticis operarijs distribuere debebant, & ratio est, quia nobilior est populus rusticus populo ciuili, non solum enim populus rusticus est pars Ciuitatis, sicut est populus ciuilis, & sine illo etiam non potest esse

benè instituta Ciuitas, sed est etiam omnium populorum antiquissimus, immo est omnium populorum optimus; vnde Arist. lib. 1. Polit. dixit, *Optimus populus est ille, qui ex agricolis constat*. Virgilius etiam in Georg. laudans agricolas cecinit.

O fortunatos nimium (sua si bona norint)
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum dulcissima tellus,
His secura quies, & nescia fallere vita.

110 *Peractis Quarantenis, delecto Contagio, domibusq; reclusis, tàm nobiles, & diuites, quàm ignobiles, & pauperes, tàm fœminæ, quàm pueri, tàm ciuiles, quàm rustici paulatim omnes liberi facti sunt.*

Sicut finis est principium omnis motus, qui sit ad illum finem antequam habeatur, sic habito fines cessat omnis motus, qui sit ad illum finem, & ille sit vltimus finis; fuit semper vltimus finis, vt Contagium radicitus euelleretur, & ad hunc vltimum finem omnia semper acta fuerunt, ideò deleto Contagio omnes clausi, reclusis domibus, liberi facti sunt: Paulatim autem, & non omnes simul liberati fuere, nam prius Quarterium vnum, postea aliud, prius homines, postea mulieres, & pueri, prius

mu-

mulieres nobiles, postea ignobiles liberæ factæ fuerunt, magis enim suspecta nouissimè permittebantur.

Numerus eorum, qui in hoc anno quibuis morbo, quouis loco, siue intra, siue extra per tria miliaria circa Vrbem, curati, & non curati mortui sunt, nouem milia vix completus fuit.

Vt Serenissimi Ferdinandi, & Sanitatis Præsidum laudabiles ordines, inculpatissimæ diligentiæ, optima instituta, omnium ministrantium exactissima obedientia, & seruitus, omniumq; Medicorum rectissima curatio clarius elucescerent, numerum omnium, qui in hoc anno, quouis morbo, quouis loco, siue intra, siue extra per tria miliaria circa Vrbem mortui sunt, Historicus addidit; numerus autem nouem milia vix compleuit sicut ex publico mortuorum catalogo videre est. Et certè in Ciuitate adeò magna, vbi tot sunt pauperes, numerus ille non solum paruus, sed minor etiam est, quàm quod credi possit. Nec dicat aliquis, quod paruus ille numerus mortuorum morbos illos fuisse non contagiosos indicat, nam sanati etiam, qui plures, quàm mortui fuere, sunt connumerandi. Pręterea, non ex numero mortuorum, sanatorumquè, sed ex idea

morbi

morbi morbus iudicandus eſt. Nec valet illud conſequens, multi pereunt, ergo morbus eſt contagioſus; nec illud etiam, pauci pereunt, ergo morbus non eſt contagioſus, multi enim morbo lethali, ſed non contagioſo, & pauci morbo, & illo contagioſo perire poſſunt, immo contagium ipſum non ſolum in paucis, ſed in vno etiam ſolo indiuiduo ſeruari poteſt. Nec eſt par ratio Peſtis, & contagij, nam vera Peſtis fit ab aere corrupto, qui eſt cauſa vniuerſalis, & ineuitabilis, & ideo omnes, aut plurimi moriuntur; at in Contagio non ſemper plurimi moriuntur, cum fiat ab cauſa particulari, quæ quidem euitari poteſt; vnde non ex numero mortuorum, ſed ex idea morborum morbi ſemper diudicandi ſunt.

112 *Sacram Quarantenam ſacra perſona deſcribet.*

Si ſacram Quarantenam ſacra perſona deſcribet, ſacra etiam perſona illam explanabit, nos enim ſacris literis operam nullam dedimus.

FINIS.

Admo-

Admodum Reuerendus Dominus Antonius Nellius Canonicus Florentinus videat, an in hoc opere aliquid contineatur, quod pietati christianæ, seu bonis moribus repugnet, nobisq; inferius referat, 20. Febr. 1631. ab Incarn.

Petrus Nicolinius Vicarius Generalis Florentiæ.

Reuerendiss. Domine, vidi, ac perlegi huiusmodi opus Historię Morbi cōtagiosi, cuius auctor Alexander Righius, in quo nihil, quod pietati christianæ, seu bonis moribus repugnet, inueni; in quorum fidem ego Antonius Nellius Canonicus Florentinus manu propria scripsi, die 15. Martij 1631, ab Incarnatione.

Imprimatur Florentiæ ordinibus consuetis seruatis, 18. Martij 1631. ab Incarnatione.

Petrus Nicolinius Vicarius Generalis Florentiæ,

Impri-

Imprimatur. Die 27. Martij 1632.
F. Clemens Egidius Inquis. Gen. Florentiæ.

Sebastianus Cellesius.



INDEX



A

B

C

Conta-

D

E

F

G

I

L

Luna

M

Mor-

Odium

O

P

Quadra-

Q

R

S

T

V

FINIS.

Sicut Sol ſine radijs, ſic Typus ſine mendis eſſe non poteſt: Siquid in hoc opuſculo caſtigari meretur, benigno Lectoris iudicio illud committimus: Solum notantu dignum iudicauimus.

Pag. 22. Verſ. 6. ſtantior Lege *præſtantior*

REGISTRVM.

† †† ABCDEFGHIKLMNOPQ RSTVXYZ. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg.

Omnia ſunt folia ſimplicia.



FLORENTIÆ,

Ex Typographia Franciſci Honufrij. 1633.
Ad Scalas Abbatiæ.

Ex conſenſu DD. Superiorum.